



**Epitome historiae Basiliensis : praeter totius Rauricae  
descriptionem, urbis primordia, antiquitates, res memorandas,  
clarorum civium monumenta, caeteraque his similia  
complectens: una cum Episcoprum Basiliensium catalogo**

<https://hdl.handle.net/1874/388940>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>**

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>**

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

*RECORDED  
BY R. H. MINTON  
IN THE MUSEUM OF THE  
ROYAL COLLEGE OF SURGEONS  
OF ENGLAND*

RARIORA

S. oct.  
864










**Historia Gentium**


**Octavo n°, 864.**

**S. oct.**

**864**







SAO  
JU  
DE  
S  
u  
ad  
B  
Blu  
n  
par  
an  
Be  
ja  
in  
Os  
day  
D  
ph  
pu

1. *Contra* *adversarios*  
2. *Contra* *adversarios*  
3. *Contra* *adversarios*  
4. *Contra* *adversarios*  
5. *Contra* *adversarios*  
6. *Contra* *adversarios*  
7. *Contra* *adversarios*  
8. *Contra* *adversarios*  
9. *Contra* *adversarios*  
10. *Contra* *adversarios*

**¶** *Deinde dicitur Ihesus apud discipulos suos. Quia non credidistis mihi in tempore meum, et nunc credetis, non habebitis regnum cielorum.*

NYO.G  
Sect 864 (Rariora)

Epitome  
Historiæ Basiliensis,  
PRÆTER TOTIVS  
RAVRICÆ DESCRIPTIO-  
NEM, VRBIS PRIMORDIA, ANTL-  
quitates, res memorandas, clarorum ciuium  
monumenta, cæteraque his similia comple-  
tens: unâ cum Episcoporum  
Basiliensium cata-  
logo.

Accessit his,


AENEAE SYLVII, QVI POSTEA  
Pius II. Pontifex fuit, BASILEA,  
nusquam antehac edidit.

AUTHORE,  
CHRISTIANO VRTSISIO BASIL  
Mathematicarum pro-  
fessore.

BASILEÆ.

Ex dono Buckley





MAGNIFICO RE-  
CTORI, TOTIQ. SENA-  
TUI ACADEMIAE BASILIE-  
sis, uiris eruditione & uirtute præ-  
stantissimis, dominis suis  
colendissimis:

CHRISTIANVS VRSTISIVS, MATHE-  
maticarum professor, s.



vo sunt, amplissi  
mi uiri, quæ me  
Basilicæ sem, hoc  
est, non urbis tan  
tum, sed & uicina  
rum partium, hi-

storiam mediantem, diuersis  
cogitationibus distractum, diu  
ancipitem detinuere: Studium  
primo erga patriam natura om-  
nibus insitum: materiæ dein ad  
hanc structuram pertinentis, in-  
opia atq; raritas. Ut enim illud

a 2 anis

## E P I S T O L A

animo in hanc rem propenso, a  
cres subiecit stimulus: ita haec di  
gnum quid & patriæ & eruditio  
rum oculis efficiendi, omnem fa  
cultatem atq; uiam denegare ui  
sa est. Patriæ namq; ( quæ ortus  
nostrī partem sibi uendicat ) po  
steritatisq; contemplatio inuita  
runt facile, ut quæ de maiorum  
nostrorum origine, politia, mo  
ribus, dictis, factisq; extarent, in  
certam annorū seriem distribue  
rem, & ab interitu obliuioneq;  
uindictarem: cætera uero (ut sunt  
plæraq;) uel minus obuia, uel  
densissimis uetus statis tenebris  
obsita, in memoriam lucemq;  
quantum meæ uires ferrent, re  
uocarem, simulq; nostris homi  
nibus auita ante oculos exem  
pla

N V N C V P A T O R I A.

Pla ponerem, quibus ad uitam  
recte instituendam, moderan-  
damq; Rep publicam uteretur,  
& ut in hoc studij genere, nō nisi  
aliarum hactenus gentium, po-  
pulorum ac urbium morumen-  
ta euoluētes, domestica tandem,  
quibus se oblectare possent, nan-  
ciserentur. Verūm huic institu-  
to, rerum nostrarum prodigiosa  
quā dixi non penuria, sed igno-  
rātia potius & Obscuritas, haud  
parum obstitit, qua nobis nihil  
penè reliqui est, nisi quæ ab exte-  
ris annotata, ac uelut honoraria  
opera ad nos transmissa, accepi-  
mus, & si quæ ex diplomatibus,  
instrumentisq; diligentius non-  
nihil asseruatis, laboriosè eruta,  
ijsdem addi possunt. Adeò flus-

## EPISTOLA

xa euanidaç mortalium, & ea  
rum quas tractant rerum, sors  
est, ut nisi literarum monumen-  
tis, ceu fidis custodibus, conser-  
centur, decurrentis æui uetusfa-  
tisç iniuria obruantur, abolean-  
turç. Difficultatem eam præce-  
dentis partim seculi in notandis  
rerum euentibus atque momen-  
tis, remissum studium, partim e-  
tiam temporum infelicitas pe-  
perit. Maiores enim nostri uiri  
boni potius esse, quam celebrari  
malentes, huic rei minime incu-  
buisse uideri possunt, ut si quid  
cordatus uerbo factoç apud  
eos contigisset, id scriptis conti-  
nuo in totum euulgarēt orbem,  
quemadmodum Græcos atque  
Latinos, quantum in ipsis fuit,

fa

N V N C V P A T O R I A.

factitasse cernimus. Hinc nostro  
rum plæraç⁹ uirtutis ac sapientię  
exempla interciderunt, nisi pau-  
cula fortè, quæ religiosę uitę de-  
diti homines literis mandarunt:  
q̄ nomine Germani nos alijs po-  
litiorib. gētibus, barbari, rudes  
rerumç⁹ ignari uisi sumus. Sed  
& multa de exactorum seculorū  
rebus gestis literis commenda-  
ta, dirissimæ terræmotū incen-  
diorumç⁹ uoragine absorpse-  
runt. Possem hīc eorum quoç⁹  
mores incusare, q(ut nō desunt)  
si quæ à maioribus notata acces-  
perūt, sine omni usu in angulis  
auarè delitescere situç⁹ obduci,  
quām in patriæ ornamentū mul-  
torumç⁹ utilitatem proferre ma-  
lunt.

## E P I S T O L A

At inter has suadentis rectæ  
rationis stimulos, conficiendique  
salebras, fluctuantem me ingenis-  
tus alteque residens in patriam a-  
mor, merito impellere debuit, ut  
si quod hic coningenio atque labore effi-  
ci posset, id ipsi omne impende-  
re, nec ista quāquā tenuia perire  
sinerem, agricolarum more, qui  
contritis grandine satis atque uiti-  
bus, residuas tamen aristas atque  
racemos non negligunt, atque  
eorū instar, qui naufragio facto  
tabulas saltem colligunt. Enim  
uerò fateri debet, rem eam ag-  
gredienti, quanquam molitione  
haud ita facili, amorem eius tan-  
tum mihi indies creuisse, quan-  
tum (ut Virgilio illo utar) ues-  
re nouo uiridis se subiçit alnus,  
eumque

N V N C V P A T O R I A.

eumq; & rei dignitatem, alieniq; studij haud illiberalē imitationē magis accēdisse. Quātū enim antiquitatis historiarumq; notitia humanæ societati lumen afferat, notiuſ est, quām ut longiore disſertatione egeat. In maximis uerſantur tenebris, qui nil niſi quæ ante pedes sunt, ac eadem ſæpe numero nō rectē ſatis agnoscūt atq; dijudicant, præterita uerò prorsus ignorant. Vnde Cicero de Oratore ſapienter pronunciavit, Nescire quid antequām natus ſis acciderit, id eft ſemper eſſe puerum. Ut igitur politicæ uitæ ſalutis & tranquillitas bonis legibus attribuēda: ita ut eadem rerum temporumq; luce nō deſtituatur, historicæ diligētiæ ad-

## EPISTOLA

scribendum censeo. Et cur obsecro nostrarum rerum perpetuò adeò negligentes essemus, ut in antiquitatum uirtutum exemplis conquirendis commemorāndisq; remotissimarum & transmarinarū potius gentium studiosiores uideremur, quām illius, è qua natales duximus, presertim cùm domestica meritō nos plus alijs afficere mouereq; soleant? Quid aliorum nouisse domos, propriam uero ignorare iuuaret? Sanè exterorum nō nulli, eorum saltem nomine, que uel ipsi sua etate animaduertere, uel de exacta nuda hominū relatione addiscere potuerunt, Basileam celebrādā ducentes, studio suo indigenas nos excitare debue-

N V N C V P A T O R I A.

buerūt, ut ea in re laboris aliqd  
collocaremus. E pluribus, no-  
stro æuo præstantissimum uirū,  
Petrum Ramum gratæ recorda-  
tionis causa numerare debeo, at-  
que superiore, Æneam Syluium,  
cuius epistolam inter illius ope-  
ra hactenus desideratā, à clariss.  
uiro D. Ludouico Lauathero  
Tigurino, amicè mihi cōmuni-  
catam subnectere libuit. Atque  
utinam nobis Ios. am Simlerum 1104  
fata diutius superstitem uoluis-  
sent: is enim post Io. Stumpfiū,  
non Rauracorum solum, sed &  
Heluetiorum (ut erat iustis ad eā  
rem ingenij & perspicaciæ præ-  
sidijs instructus) memoranda,  
posteritatī digno opere conte-  
xuisset.

Etsi

## E P I S T O L A.

Etsi autem tantorum ego uis  
rorum eruditioni neutiquā par  
esse queam; ea tamen quæ ex pu  
blicis priuatisq; nostratibus at  
que peregrinis scriptoribus, an  
nalibus & diplomatibus con  
gessi, in obscuro neutiquam po  
nenda esse, suadētibus plurimis,  
existimaui, sperans fore, ut si qui  
in me facundiā desyderaturi es  
sent, fidem tamen & diligentiam  
non essent improbaturi. Quam  
ob causam, ut uiam qua mihi in  
grediendum tentarem, & de ui  
ribus meis periculum facerem,  
simulq; eorum, qui candidi re  
rum æstimatores sunt, iudicia, &  
si quæ huic operi locupletando  
opportuna hinc inde latitarent,  
elicerem: Prodromum hunc an  
tece-

N V N C V P A T O R I A.

cedere uolui, quo reselectis uel tactis solum longis rerum narrationibus, post concisam Rauricæ descriptionem, antiquitates, memoriasq; clarorum ciuium, qui uel pacis bellive artibus, patriam illustrarunt, pro illius salute libertateq; acerba omnia pertulerunt, uitam denique fortunasq; præsentissimis exposuere periclis, & quorum laboribus, tanquam messem eorū ingressi, nūc fruimur, uelut in pinace exhiberem, imitandosq; proponeam: quod Bernardinus etiam Scardeonius ciuibus suis Patavinis, quamquam locupletiore opere, præstítit.

Vobis autē Magnifice D. Rektor, uiriq; celeberrimi, libellum hunc

EPIST. NVNCVPATORIA.

hunc sacrare uolui, primū quod  
in uestro sint ordine, quibus is  
plurimum debet, deinde ut uos,  
qui pietate, eruditione ac sapien-  
tia urbem uerè illustratis conde-  
coratisq; instituti mei duces mo-  
deratoresq; exorarem, meaq;  
studia iudicio uestro reuerenter  
submittens. Quo nomine ut  
hos qualescumq; labores à me ac-  
cipiatis, iudicetis, ac dirigatis,  
quibus possum precibus expe-  
to. Fauxit Christus, ut ad ipsius  
gloriam in primis fa-  
ciant.

IV. NONAS MARTII, ANNO  
VIRGINEI PARTVS,  
CIO. 10. & XXVII.

A.D.

AD REGIAM BASILEAM APO-  
strophe Pauli Cherleri Elster-  
burghensis.

Vrbs sortem Basilea tuam perpende, Deoq;  
Grata, stude pulchra commoditate frui.  
Suggestis doctrina tuis sonat aurea Christi:  
Pulsa superstitione est, fucus ijtq; procul.  
Viribus aucta, uiris sapientibus aucta triumphas:  
Et tibi Musarum candida Templa fauent.  
Pace bona frueris, dominaris libera: præstò est  
Magna tibi rerum copia, magna boni.  
Deficit haud quicquam, uitæ quibus indiget usus:  
Seu species animas corpora siue notes.  
Tanta Dei bonitas indulxit munera: summis  
Qui te thesauris concumulauit opum.  
O' sors digna Deis: Vrbs o' loue digna supremo,  
Hoc decus agnoscas fac Basilea tuum.  
Delirabis enim, nisi tot numerosa bonorum  
Millia perpendas, & reuerenter amo.  
Viue diu, floreç; diu, quo fiat utrumq;  
Munificus patrio faxit amore Deum.



INDEX RERVM MEMO-  
RABILIVM, HOC LIBRO  
contentarum.

- A**
- Bbatissa fit ex priorissa in Clin genital 289
  - Academie locus 215.
  - institutio 218, 219
  - Academie administratio 221. consilia tria 222.
  - ordo docendi 224
  - Achilles de Altschiviler 188
  - Adamus Petri 144
  - Adelberius Meier Conf. 140
  - Aduocati cœnobiorū 124
  - Albanus martyr 122
  - Alberto Cæf. mors inten-  
tata 185
  - Albertus Magnus 187
  - Amandus Offenburg e-  
ques 177
  - Andreas Cratander 93
  - Andreas Petri 174
  - Anna regina Romanorū 75
- Area noua 143
- Ariouistus fusus 45 (137)
- Arnoldus de Blatzheim
- Arnoldus zum luft 83
- Arragarria Rauracorum  
tractus dictus 20
- Attilæ furores 25
- Augusta Romanorum co-  
lonia 23. interius e-  
ius 25
- Augustiniianorum cäno-  
bium 230
- Auraniū in Suntgouiam  
irruptio 140
- B**
- Basilea quādo cœperit 46
- Basileæ situs 44
- Basilea ampliata 127. in-  
cendio deformata 130
- destrūcta 50. 69. un-  
de dicta 52. terræ motu  
cōcidit 76. inferior 255
- Basilea minor quando in  
urbem redacta 255
- A** maio-

I N D E X.

- à maiore urbe empta 258  
 Basiliensis urbis incenia 228  
 Beginarum statutus aboli-  
     tus 191  
 Beinwiler cœnobium 33  
 Bellagium Cœnobium 30  
 Bernhardus Meier Con-  
     sul. 140  
 Bernhardus Stebelius 210  
 Bischoffstein castrum 29  
 Bonifacius Amerbachius 226  
 Birseck arx 19
- C.
- C<sup>A</sup>nonici regulares ab  
     rogati 148  
 Caroli Magni pietas 67  
 Casparus Maner 193  
 Chaldaicæ Grammaticæ  
     primus auctor 101  
 diua Christianæ obitus 61  
 Clarissarum monasterium 279  
 Clingiacum cœnobium 283  
 Cœlius S. Curio. 118  
 Cœnobia nobilium hospi-  
     talia 386  
 Cœnobium ad Lapidem 135  
 à Rudolpho Haspurgio  
     incensum 136  
 Cöllae pro eligendo pon-  
     tifice 105  
 Conradus Heliae Doctor 207  
 Conradus de Lauffen 206  
 Conradus Lycoithenes 150  
 Conradus Pellicanus 144  
 Conradus zum haupt mi-  
     noris Xenodochij Basil.  
     author. 176. 185
- D.
- Dornect arx 19
- E.
- Ecclesiæ Basil. dedica-  
     tio. 78  
 Episcopatus Basil. initia 54  
 Episcopi titularee 231  
 Epitaphia Iudaica 157  
     158
- F.
- Epingerorum prima se-  
     des 29  
 Erasmus Roterodam. 88  
 Engenthal cœnobium 36  
 Ezelinus 146  
 Far-

# INDEX

- F**
- Arnoueri Basil. 176
  - Franciscanorum secta  
141
  - Fridericus Cæsar Basileæ  
est 161
  - Fridolinus 41
  - Frossardi locut de Mona-  
cho equite 183
  - Fulispurgium 27
- G**
- Galliciones papyri ar-  
tem primum Basil. ex-  
ercuerunt 132
  - Georgius de Andlo pri-  
mus Rector 82
  - Gilgenberg 16
  - Gnadenthal canonici 153
  - Grandis uallis monasteri-  
um 32
  - Guilhelmi Arsentiū sce-  
tus 200
- H**
- Haito episcopus Basil.  
66.
  - Hartmannus Rot Consul  
165
  - Heluetiorum ciuitat 6
  - Heluetiorum cremus 251
- I**
- Henricus à Benheim 83
  - Henricus Claudius Imp.  
Ecclesiam Basil. con-  
struxit 72
  - Henricus Meltinger Con-  
sul 207
  - Héricus à Vuesthofe 187
  - Hermanus Scalarius 216
  - Hermannus de Tierstein  
comes 290
  - Hieron. Frobenius 116
  - Hieron. Gemusæus 103
  - Holzachij 260
  - Homburg Astrium 14
  - Hospitalia suere nobilium  
cœnobia 282
  - Hugo archiepiscopus Ro-  
tomagensis 169
  - Hugo de Lauffen 205
  - Hugonis zur Sonnen pru-  
dencia 165
  - Huldricus Iselin I. C. 110
- J**
- Jacobus Loss 176
  - Jacobus Meier Cöfsl. 98
  - Jacobus Rudinus 172
  - Iodocus Keller 111
  - Johannes Cenon 193
  - Johannes Frobenius 178
- B**
- z 103

## I N D E X.

- Io Gastius 213      Iustinus martyr Basil. 65  
 Io. Hospitianus 108      K  
 Johannes Huberus Medicus 212      Klenberg baronum sedes 30  
 Johannes Mulberg 189      Kilchmanni 259  
 Johannes Nider 192      L  
 Johannes Nerus Doctor 169      Landser Monachorum pignus 196  
 Johannes Oecolampadius 92      Lauffen oppidum 17  
 Johannes Oporinus 102      Lauffenberg oppidum 12  
 Johannes Petri 197      Leonardi parochia 145  
 Jo. Puliantus ab Epingen 203      Liechistallum oppidū 20  
 Johannes de Ragusio 199      Löwenberg arx 183  
 Johannes Rich Cöfsl 140      Lucela cœnobium 34  
 Johannes Rot Consul 165      Lucas Sanctopetrin⁹ 160  
 Jo Rudolphus de Hallwil 87      Ludouicus Carinus 173  
 Johannes Trutman Tr. plebis 208      M  
 Johan. Vuiler consul 104      Magistratus legēdi præsca ceremonia 112  
     Doctor & canonicus 105      Marcus Bersius 149  
     Itba de Rinsfelden monialis 139      Marinus Borhaue Theol. 106  
     Iudicium infamium 152      Martia domus 154  
     Iudei cremati 155      Mariniana parochia 202  
     Jurassi nomina 5      Maternus apud Alsatias Christum docuit 54  
          Melchior Hutschius 208  
     Mendicorum leges 185  
     Michael Isingrinius 116  
     Mi-

I N D E X.

- Michaelis facellum 182      bus à R. ipublice gubernaculis recesserint 241  
 Micheluelden 35  
 Minoritarum cænobium 141  
 Monachorum nobilis familia 182  
 Monachi de Landistron 195  
 Monasterium grandissimum 32  
 Monchëstein & Monchberg 19. 182  
 Monetariorum gens 167  
 Munacijs Planci inscriptio 235  
 Murariorum progenies 168
- N
- N**eoburgensis conuentus 288  
 Nicolaus Brieferus 170  
 Nicolaus Episcopius 180  
 Nicolai Cusani locus de Basilea 49  
 Nicolaus Irmius 209  
 Nicolai facellum 282  
 Nicolaus Zertinden eques 163  
 Nobiles quibus occasione-
- bus à R. ipublice gubernaculis recesserint 241  
 O  
**O**ffenburgiorum genus 177  
 Olsperg cænobium 37  
 Ordo pænitentium Iesu Christi 279  
 Osualdus Berus 113  
 Osualdus Myconius 112  
 P  
**P**antali historia 55  
 Petrina parochia 162  
 Petrus de Layffen 204  
 Petrus Rot Consul. 166  
 Petrus zum lufe 85  
 Philippus Beehius 107  
 Phlegontis Tralliani locus 47  
 Pius quomodo ad Pontificatum ascenderit 218  
 Porta asinorum 146  
 Prædicatorum monasterium 186  
 Prytaneum Academicum 232
- Q  
**Q**vercus memoranda 160  
 Rabbis


I N D E X.

- |                                     |     |                          |     |
|-------------------------------------|-----|--------------------------|-----|
| Rabbi Rasor Iudeus                  | 155 | Scalarij nobiles         | 213 |
| Ramstein castrum                    | 16  | Sceleta                  | 127 |
| Ramsteinorum baronum<br>progenies   | 81  | Schaurenburg castrū      | 22  |
| Rauraci                             | 2   | Schöntal cænobium        | 39  |
| Rauracorum nomen                    | 6   | Seb. Castilio            | 114 |
| Rauricæ portæ                       | 4   | Sebast. Lepusculus       | 108 |
| Reclor primus Academie<br>Basil.    | 222 | Seb. Doppensteinius      | 110 |
| Reformatio monialium<br>urbas parit | 287 | Sebastianus Müsterus     | 99  |
| Reifenstein                         | 28  | Seckingense cænobiu      | 40  |
| Recipub. Basil. forma               | 239 | Selbisperg uicus         | 28  |
| Richenstein arx                     | 86  | Senatorij locus          | 234 |
| Rinfeldia oppidum                   | 10  | Seruorum iudicium        | 152 |
| Robur Valentiniani                  | 69  | Seuerinus Ertzberg       | 213 |
| Rothauss cænobitica dor-<br>mus     | 37  | Seeuoglij                | 169 |
| Rudolphus Buchsman                  | 143 | Simon comes in Tierstein | 290 |
| Rudolphus Marchio de<br>Hochberg    | 281 | Simon Grynaeus           | 98  |
| Rudolphus à Tierstein               | 81  | Sinctorum familia        | 167 |
| Rusticorum motus                    | 36  | Sisgoviae Landtgraviatus |     |
|                                     | S   | 13                       |     |
| Sæconium                            | 11  | Surliorum gens           | 167 |
| Sanctopetrinus lucus                | 160 | Sougerenses Comites      | 18  |
| Sannicoleum fanum                   | 282 | T                        |     |
|                                     |     | Elamonius Lumper-<br>ger | 232 |
|                                     |     | Telschberg oppidum       | 17  |
|                                     |     | Theodori parochia        | 259 |
|                                     |     | Thuringus de Ramstein    |     |
|                                     |     | 12                       |     |
|                                     |     | Terra-                   |     |

I N D E X.


- |                            |     |                         |     |
|----------------------------|-----|-------------------------|-----|
| Terræmotus ingens          | 76  | Vroburg arx diruta      | 30  |
| Tierstein cornuum sedet    |     | Vrsulæ historia         | 60  |
| 17                         |     | Vualanus primus Episco- |     |
| Typographici artificij au- |     | pus                     | 66  |
| thor                       | 132 | Vualdenburg castrum     | 15  |
| Typographi primi Basil.    | 133 | Vualdshut oppidum       | 12  |
|                            |     | Vuartenberg castra      | 21  |
| V                          |     | Vuildenstein            | 29  |
| Valentiniiani Robur u-     |     | Vuolffij                | 140 |
| bi conditum                | 69  | Vuolphgangus Vuissen-   |     |
| Varnsperg castrum          | 13  | burg                    | 170 |
| Varnspergium quis restau-  |     | Vunebaldus Heidelbeck   |     |
| ravit                      | 290 | 111                     |     |
| Vicedomini                 | 139 | X                       |     |
| Vlricus baro de Clingen    | 283 | X Enodochiu minus       | 189 |
| Vlricus ab Aetingen        | 104 | Z                       |     |
|                            |     | Zwingen.                | 16  |

F I N I S.



ICON PORTÆ PETREÆ IN RAV-  
racorum & Auenticorum confini-  
bus. A. 3. pag. 6.


Auster



Birsæ scaturigo

Tachsfelden vicus

Boreas



# Epitome

HISTORIÆ BASILIENSIS, PRÆTER TOTIVS RAVRICÆ DESCRIPTI<sup>n</sup>IONEM, CIUITATIS PRIMORDIA, ANTIQUITATES, FES MEMORANDAS, CLARORUM CIUUM MONUMENTA, CETERAq; HIS SIMILIA, COMPLETENS.

CHRISTIANO VRSTI  
SIO AVTHORE.

## CAPVT I.

Rauracorum termini. Iuræ montis tractus diuersaque nomina. Porta petræ cum inscriptione. Regionis nomen. Soli ingenium.



VONIAM ciuitatis Basiliensis rerumque illius memorandarū descriptionem, præsenti libro institui: id eò de Rauracis, quorum ipsa caput est, quædam præmittere lubet. Regio itaq; Rauracorum siue Rauricorum (utroque A enim

EPITOME HISTORIAE

enim modo eos à probatis auctoribus  
appellatos esse, reperio) ueteris Galliæ  
Celticæ portio est, inter Heluetios & ci-  
teriores Sequanos, Rheno flumine ter-  
minata, prouinciaæ Sequanorum magnæ  
Romanis quondam attributa. Figura e-  
Rauracorū  
regio tri-  
quetræ.  
ius trigonū refert amblygonium: namq;  
uersus ortum & occasum in binos con-  
trahitur & quasi fastigiatur angulos, ter-  
tio uersus Boream protenditur. Maius  
Austrinæ plagæ obiectū latuš, Iura mōs  
repræsentat, qui è Burgundionum fini-  
bus ad Rhenum usq; excurrit, ibiq; fini-  
tur: aut si maiis fluminis Arolæ tractus,  
quatenus dicti montis radices in parte  
Meridiana abluere uidetur, hunc enim  
ea ex parte Episcopi Basiliensis diœce-  
sin finire constat. Reliqua latera, Rhenus  
quidem uersus Septentrimonem & ortū,  
Birsu uero fluuius ad occasum claudunt.  
Ortuum angulum Confluentia tenet  
Helvetica, locus olim fortè cultior, ho-  
die uero pagus tantum, ubi tria Helue-  
tiorum flumina maxima, Arola, Rufa &  
Limagus, infra ueterem Vindonissam  
commixta, uno alueo Rhenū ingrediun-  
tur. In occiduo cardine, sunt portæ ru-  
pis

## BASILIENSIS.

Pis perforatæ, quæ Rauracos cum Auen-  
tis commitunt. Borealem extremita-  
tem ad Birsæ ostium Rheniique flexum,  
Basilea occupat, sub exaltatione poli 47  
graduum eum besse.

Iurassi autem montis tractus quem Diversa ita  
Meridiano Soli obiacere dixi, ut pluri- rassi nomina  
bus in locis transitum præbet, sic uaria na apud  
quoq; sortitur nomina. Quà enim Rhe- Rauracos:  
no propius per Vrickiam uallem (ubi pri  
isci Raurici nominis, primis duabus lite-  
ris demptis, uestigium remansisse, Bea-  
tus Rhenanus existimauit) uersus A-  
quas Helueticas itur, Vocetius mons di-  
citur, Taciti etiam testimonio, Annal. li-  
bro 17. Pars uero quæ per Sisgouiam a-  
scendentes transmittit, Ovini prati no-  
men à paseuis acepit. Quæ uero iuxta  
Homburgiam arcem existit, uersus Tali  
riscos & summas Alpes iter suuentibus  
obuia, rupes scissa Inferior, ac sequens  
prope Vualdenburgij claustra, quæ Salo-  
dorum atque Geneuam iter est, supe-  
rior appellatur, eò quod asperrimæ ac  
confragrosæ utrobiq; rupes ita perfra-  
ctæ sint, ut onustis etiam curribus uiam  
præbeant, faciliorem hodie quam ante

## 4 EPITOME HISTORIAE

pauculos annos, quādo currus per præcipitia saxa funibus demittendi fuerūt: nunc autem magistratus Basiliensis atq; Solodorenſis industria ita attrita, ut si- ne tali adminiculo montis declivitatem superare queant. Itinera duo ad occa- sum succedētia difficultiora sunt, nec nisi uiatoribus patent, quanquam etiam e- qui traduci possint, priore ab aquis deci- duis, posteriore à monasterio Beinuuil- ler monti nomina sunt. Nec mihi dubiū alia quoq; deinceps ignobilia ei nomi- na data, priusquam ad occiduum an- gulum peruenias, ubi Birsæ scaturigo cernitur. Sola ei prisca nomenclatio in Antuatum finib; remansit, ut Iurta ap- pelletur.

Porta Rad-  
rica perfo-  
rata rupis.

Visitur illic apud Birsæ caput saxū in- gens, citeriorem uallem, quam Grandē, & à collegiata illic ecclesia, Monasteri- ensem uocant, ab ulteriore, quæ ad B. Himmerij uallem atq; Auenticēsem pa- gum seu minorem Burgundiam ducit, uelut de industria dirimēs. Hunc tamen obicem ante multa secula humana per- uicit industria, ingēti ea rupe in amplif- simæ portæ magnitudinem, quam ha- stati

BASILIENSIS.

stati etiam equites transire possunt, perfracta, Caspiarum in Asia portarum instar. Accolæ Pierreport aut Pierreperius uocant, illic enim utpote Burgundionum cōfinibus, Gallici sermonis, quanquam agrestis, usus est. Distat à ciuitate Basiliensi miliaribus sex, estque Episcopi ditionis.

Author tempusq; huius Operis ignrantur. Etsi enim id hominum uulgs Iulio Cæsari, cum in Gallijs arma circumferret, tribuat: huic tamen opinioni antiquissima inscriptio supra portā petræ insculpta, Augustorum mentionem faciens, reclamare uidetur. Eam Munsterus felicis memoriæ, aliorum opinor relatione, hunc in modum prodidit:

Portæ p  
treæ inscri-  
ptio.

Numinis Augusti uia ducta per ardua montis,

Feliciter petram scindens in margine fontis.

Vel

Nimis angusti, &c.

Fecit iter, &c.

Quanquam autem literæ ita obsoletæ sint, ut lectionis usum penè effugiant: Petrus tamē Pithoeus, uir doctus & antiquitatis studiosus (cum uersus hi Leonini medium ætatem saperent) Epigra-

A 3 phc

## EPITOME HISTORIAB

phe illa diligenter contemplata, quantum sine scalarum adminiculo in tot cibitorū altitudine, uisu persequi potuit, sic legi posse existimauit:

N V M I N I A V G V -  
S T O R V M

V I A F A C T A P E R  
C I . V R I V M P A T E R I V  
I T V I R . C O L . H E L V E T .

forte Q Vz  
som Pate-  
gium.

Quæ si ita se habent, cogitationem mouere possunt, num per Coloniam Helveticorum Auenticum intelligendum ueniat, quæ urbem Tacitus gentis Helveticæ caput, & libellus Prouinciarum ciuitatem Heluicorum uocat, ubi alij Helvetiorum legunt.

Rauracos ego ab urbe eius principe Raurica, quæ post in Augusti Cæsaris honorem, Augusta dicta fuit, denominatos esse, nihil ambigo. Id enim per Galliam ut olim ita etiamnum usitatissimum, provinciæ cuilibet à metropoli sua nomen dari. Vnde autem Rauricæ priscum nomen descenderit, ignotum. Alij quidem coniecturis ducti, Rauracos, quasi Die Rauchracher dictos uolunt, quod terra hic in asperas coeat fauces, arctasq; & sale-

salebrosas ualles: alij à soli asperitate seu tenacitate, Die Rauhenacker deducunt, qd' illic, etiam in cultissimis locis, adeò argillaceū densumq; existit, ut id colonus tribus iugis non nisi laboriose proscindere queat, quod in Sequanis unico factu obuium: colonorum præterea non nulli inueniantur, quibus hoc familiæ nomen inditum. Vtraque ratio uera est, posteriorq; magis plausibilis: uerùm utrum ex Germanico idiomate uox ea de prompta sit, dubius hæreo.

Terra hæc omnis ferè montibus obducta est, eò quod Iurassus eam plurimis rupibus atque collibus ramorum instar emissis, exasperet, Austrinā plagam ueluti refugiens; Ergouiamq; planam relinquens. Plæraq; tamē montium atque conuallium, infinitis fontium scatebris abundantium, frequentibus pagis uicisq; ita culta sunt, ut illic nec benè ædificatas domos defyderes, nec uirentissima prata, nec fertilissimos agros, triticū præstantissimum proferentes, pondere atque candore ei quod apud Sequanos siue Suntgouios prouenit, longè antefexendum, ita ut nesciam, an uulgus alibi

§ EPITOME HISTORIAE

rusticorum præstantiore pane quām a-  
pud Rauracos, uescatur. Solus tractus  
circa Deli oppidum, uulgò Telschberg, ad  
portam usq; petream asperior est, quām  
ut ob locorum squalorem diuturnaque  
frigora, frumentum proferat, hordeo æ-  
stiuo excepto, sitq; agricolis aceroſo pa-  
ne, præcipuè autem lacte & caseo, qui il-  
lic præstantes fiunt, uictitandum. Multis  
autem alibi locis, montes uineis consiti-  
fiunt, præcipuè circa Liechstalli oppidū,  
ubi plurimi exinde uictum quæritant.  
Cætera, edita præsertim atq; cliuosa ni-  
mis, nemoribus occupantur, quibus nec  
cerui, nec apri, quandoque nec ursi de-  
funt. Flumen in mediterraneis nullum  
insigne, præter Aergitiam, non tamen ra-  
tium potentem: singulæ tantum conual-  
les singulis irrigantur riuis, trutis abun-  
dantes, ut stagna atque piscinas  
multas taceam.

C A P V T

BASILIENSIS.

C A P V T I I .

Veteris Raurici conditio. Domini recentis. Op-  
pida, castraq; publica, &c.

T Erram hanc ( etsi hodie populosa  
magis sit ) prisca tamen ætate non  
malè cultam fuisse, ex ea C. Cæsar's  
historia patet, qua Rauracos, gentem  
tum liberam, unà cum Heluetijs alijsq;  
socijs nouas quærendi sedes consilio,  
uniuersam regionem flammis uastasse  
commemorat, ne cuiquam ad redditum  
spei quicquā relinqueretur. Habito ná-  
que emigrantium censu 2300• capitum  
solum uertisse inuenta sunt. A' Cæsare  
postea fusi & in prisōnas sedes repulsi,  
Romanorumq; lugum subière, qui sub Au-  
gusto deinceps colonis eò missis, res  
eorum augustiores, atq; principem urbē  
in campum hodie redactam ampliorem  
reddidere, Vesontiensī Præsidi, magnam  
Sequanorum prouinciam administran-  
ti, parentes. Sequentibus seculis, post ua-  
rias Germanorū incursiones Imperijq;  
Romani ruinas, Alemanni in has partes  
concessere, quemadmodum prolixius  
alibi dicetur, quorum tamen imperium

minus diuturnum extitit, rebus eorum  
Francorum potentia attritis, ita ut regio  
hęc Austrasię regno contribueretur.

**Quib. Rau** Ex illorum principum posteritate ante secula aliquot terrae huius imperium  
**rati.** raci proximis ante se habuerunt Comites Rinfeldenses, Hab-  
**calis parue** spurgij, Homburgenses, Vroburgenses,  
Tiersteiniani & Sogerenses. Quae primę  
duę possedere familię, ut sunt quatuor  
oppida Rheni Rinfeldia, Sacconium,  
Laufenburgum, & quod ultra flumen  
Hercyniae syluę adiacet, Vualdeshutum  
cum suis territorijs, ad Austriorum Ar-  
chiduces deuoluta sunt: Quae interme-  
dię stirpes tenuerę, Basilienses acquisi-  
uerę, reliquarum c̄ditiones ad Solodore-  
ses partim, partim ad Episcopum Basi-  
liensem deuenerę, qui portionem eius  
non modicam teneat.

**Rinfeldia,** Rinfeldiae equidem, eleganti oppido  
oppidū, id supra ueteris Augustę ruinas uno milia-  
**est, campus** rario, ante quinq; secula eius nominis Co-  
mites imperasse, notum est, è quibus Ro-  
**Rheni.** dolphus Suevię dux, contra Henricum  
4, in Romanorum regem electus, pro-  
diit. Castrum illi per ea tempora muni-  
tissimum Rheni undis circumfluum,  
Germ.

Germ. *Der Stein Rheinfelden*, tenebant, anno 1445. à Basiliensibus captum atq; di-  
rutum. Nondum enim locus is mœni-  
bus cinctus erat, quorum structura Ze-  
ringensibus (Carentinos nonnulli uo-  
cant) Ducibus tribuitur, ad quos Comi-  
tatus hic iure matrimonij deuenit, quan-  
do Conrado Duci, Rodolphi regis, po-  
stremi Rinfeldiorum Comitis filia, nu-  
pta fuit. His autem anno 1218 deficienti-  
bus, oppidum cum reliqua castris ditio-  
ne, ad Imperiū rediit, quam Rodolphus  
postea Habsburgius sibi uendicauit, do-  
nec posteri eius Austriae Principes, urbē  
quoq; sui iuris effecerunt.

Sacconium autem proximum supra *Sacconium*.  
Rinfeldiam oppidum, insulam Rheni oc-  
cupat, unde nomen fortè suum, quasi in  
sacco sita, traxit. Hunc antiquissimū vir-  
ginum cœnobium, Fridolini Scoti uiri  
sancti busto nobilitatum, initium dedit,  
multis magnorum Principum donatio-  
nibus locupletatum. Oppidanī hi ab a-  
liquot inde seculis nobilissimis Hab-  
spurgiorum Comitibus subiecti fuere,  
aduocatiæ causa, quam illis Vestales hæ-  
detulerant, quaratione etiam Lauffen-  
bergij

22 EPITOME HISTORIAE  
bergij dominium obtinuere.

**Lauffen.** Est illud tertium ad Rheni ripam oppidum, cum arce munitissima monti imposita, quam nostro tempore tractus ilius praeses Austriacus incolit. Nomen idem quod Catarractæ sive castrum sive montem sonat. Rhenus enim eo loci inter saxa conclusus multisq; scopulis impeditus, ingenti murmure de rupe caddens, mirè tumultuat, adeò ut naues superiore loco exonerare, uacuasq; funibus demittere necesse sit: ijs tamen aliquando nonnulli, uitam nihili facientes, se committunt, unde idiomate nostro Waghalß appellantur. Paruit ab antiquo (ut ante memini) Habsburgiorum imperio, quorum stirps circa salutis annum 1200, dominiorum diuisione ita diducta fuit, ut quidam Lauffenbergenses dicerentur, quorum postremus Iohannes, Comitis Rodolphi F. anno 1383. inter uiuos egit.

**VValdshut.** Eorundem sceptrâ VValdshutū quoque, oppidum quartū, in extremis Rauracorum finibus ultra Rhenum sub Hercynia sylua situm, agnoscit, ab ijsdem, ut uolunt, conditum. Nomen à custodia duxisse uideretur, cuius illic contra syluam con-

constituendæ magna est opportunitas.  
Singula oppida æquali fere interuallo  
ab inuicem dissita, singulis pontib. Rhe-  
num insternunt.

Succedit postea Sisgouie Landgrauia-  
tus, à Sissaci cultissimo pago, locum a-  
mœnissimum circa umbilicum eius oc-  
cupante, denominatus. Hic olim à Iu-  
rasso monte usq; in medium Birsæ alueū  
extendebarur, maximamq; Rauracorū  
partem complectebatur, cuius iura ad  
castra Höburg, Vualdenburg & Liecht-  
stalli oppidum pertinentia, Henricus 7  
Imperator, Othoni de Grandisone Epi-  
scopo Basiliensi, tradidit, quæ Humber-  
tus postea Neoburgensis, mense Decem-  
bri, Anno 1416. Ciuitati Basiliensi perpe-  
tuam possidenda uendidit. Hinc sanguī-  
nis iudicium, cuius erectæ furcæ indicia  
esse solent, per uniuersum eum tractum  
(et si loca quædam habeat alienæ ditio-  
nis) ad Senatum Basil. spectat.

Intra Lädgrauiatus eius limites Varn-  
spergium castrum amplum, non procul  
à Rinfeldia, altissimo monti impositum  
est, unde ad oppida Rheni prospectus  
patet longissimus. Tiersteinijs quon-  
dam

dam Comitib. paruit, fuitq; à Sigismundu-  
do Simonis filio, post terræmotus Rau-  
racos, quorum paulò post uberior fiet  
mentio, restauratum. Huius autem filio  
Othono, anno 1420 sine hærede mascu-  
lo decedente, ad Falcosteinios barones  
transiit, qui arcem hanc Austriæ princi-  
pibus pignoris loco aliquâdiu reliquê-  
ret, tandem uero anno superioris seculi  
sexagesimo secûdo, cum toto eius domi-  
nio pro certa argenti summa Basiliensi-  
bus tradidere, Thoma Falcosteinio uen-  
ditore. Hodie urbs eò præfectum mit-  
tit, qui magistratus nomine, pagis uigin-  
tiquatuor imperat. Cernitur adhuc intra  
arcis pomeria dominus quædam, quam à  
Zielempij s denominant. Hos ego Tier-  
steiniorum uasallos fuisse reor, castruq;  
sui nominis iuxta Vualtpachium (pa-  
gus is est prope Altkirch, Phirreensis di-  
tionis oppidum) tenuere, cuius illie ue-  
stigia rustici monstrant.

Homburg.

Ad meridiem Homburgiense castrum  
spectatur, edito in loco prope inferioris  
rupis scissæ iter, nobilissimorum quon-  
dam eius nominis Comitū sedes. Hanc  
Vuernherus, qui postremi Rappersuilen-  
sium

sum Comitis filiarum alteram uxorem habuit, cum in Heluetijs ad lacū Tigurinum ampliora dominia possideret, Othoni Episcopo Basiliensi, circa annum 1307 uendidit, cuius successor Humerius, eam cum territorio suo, mense Iulio, Anno 1400 magistratui Basiliensi ære accepto, tradidit, qui hodie adhuc prefectum eō mittit. Defecit Homburgiorum stirps in prædicti Vuernheri Comitis filio, patri homonymo: prior enim anno 1322 decedens, unicum filium Vuernherum puerum adhuc reliquit, sex circiter annis parenti superstitem, cuius possessiones Austriorum postea principes sibi uendicarunt, easq; Johanni Habsburgorum Comiti, defuncti adolescentis materteram coniugem habenti, in feudum dederunt, inter quas etiam supra Basileam, Vuartenbergij montis castra recensebantur.

Versus occasum magis ad radices Iuræ, ubi superior scissa rupes dicitur, inter altissimos montes Vualdenburgum opidum, totam conuallis latitudinem occupans, situm est, castro in præalta rupe imminente. Nomen idem quod syluæ

Vualdenburg.

castrum sonat, quānq̄tiam Rhenanus à uallo deriuet, quōd móris transitum eō loci muniat. Paruit olim Comitibus à Vroburg, de quib⁹ aliás plura mihi referenda, quorum ultimus Hermannus anno 1370. deceſſisse fertur. Trāſijt postea in Episcopi ditionem, siue id ob feudi reuerſionē, siue alia de causa factum sit, is enim omne hoc dominium, unā cum Homburgia ditione anno ſupra citato, in Senatum Basil. tranſtulit.

Ramſtein

Longius uersus Birſam progredien-  
do, Ramſteiniorum baronum ditio oc-  
currit, quorum progenies, anno ſupra  
millesimum quadringentesimum quin-  
quagesimo nōno, defecit. Rodolpho Ba-  
ſileæ defuncto, de quib⁹ plura afferam,  
cūm ad huius tumulum peruenero. Arx  
eorum præcipua, unde ipſi nomen ſum-  
pſere, ad Basilienses, Gilgenberg ad So-  
lodorenses, emptionis titulo peruenit,  
Zuingenſe autem caſtrum Birſæ fluuiō  
imminens, per apertio[n]ē feudi, ad Epi-  
ſcopatum redijt.

Gilgēberg

Zwingen.

Haud procul abinde Tiersteiniorum  
Comitum ſedes fuit, arce nobili, quæ So-  
lodorensibus primū oppignorata (e-  
ius

## BASILIENSIS.

17

ius enim ciuitatis iure postremi Comi- Tierstein.  
 tes fruebatur) pleno tandem dominio ad  
 eos deuenit. Monachus quidam Santal-  
 banus annotatum reliquit, priscos ho-  
 sce Comites, ante multa secula prope  
 Vuitnaugiam (pagus is est Viesæ uallis,  
 contra Basileam, uersus Hercynium ne-  
 mus) castrum habitasse: affinitate dein  
 cum Vroburgensi familia contracta, post  
 obitum cuiusdam de ea stirpe Comitis,  
 recens dominium matrimonij iure ob-  
 tinuisse, atque illic arcem priori cogno-  
 minem extruxisse. Verum quum mihi  
 non constet, qua authoritate illud scri-  
 pserit, fides penes authorem sit. Defece-  
 runt Tiersteinij, anno 519, Henrico Co-  
 mite defuncto.

Reliquum Birsæ tractum, primum ubi  
 Lucelæ undas excipit, oppidum Lauffen Lauffen  
 binis uero supra miliarib. quo loco Sor-  
 næ fluuiolo augetur, oppidum Deli, seu  
 Telamontium, uulgò Telschberg occurrit. Telsch  
 Illic Galici sermonis initium.  
 berg,

Intermedium locum, Telamontio ta-  
 men propinquiorem, ubi uallis arctissi-  
 me coit, exiguis superest uiculus Sou-  
 geren, quem tamen castra quondam ad  
 Sougeren.

B utram-

utramq; fluuij ripam rupibus illis impo-  
fita, quorum etiamnum muri prominet,  
circumsepsere, ita ut munitissimum fuisse  
locum uideatur, qui iusto exerci-  
tui iter precludere potuerit, hostesq; uel  
fola lapidum multitudine obrutere. Hic  
prisci seculi Comites eius nominis habi-  
tacunt, quorum in diplomatibus fit men-  
tio. Vdalricus enim de Sougere, coniu-  
gis filiorumq; consensu, cœnobio S. Al-  
bani Basiliensi, medietatem ecclesiæ, cù  
agris, syluis, seruis & ancillis in villa  
Kempiz, duorum infra urbem millario-  
rum ad Rhenum, Anno 1102 donauit. V-  
delardi autem Comitis de Sohires uel  
Soeres, cœnobij Lucelæ institutio, non  
procul ab inde siti, eiusdeinq; confirma-  
tio, à Conrado Imperatore, anno 1139, Ar-  
gentinæ data, meminit. Quando proge-  
nies ista defecerit, ob temporis longin-  
quitatem ignotum esse arbitror. Ferunt  
tamen proximis seculis, munimentum  
ultra Birsam, quod ipsi Die Vorburg appellant,  
quasi Telamontij propugnaculum,  
in castra duo, die obere und nidere vestung, di-  
uisum, Tiersteinios habitasse, qui ut So-  
gerensium uicini, ita & hæredes forte-  
fuere,

fratre, in quorum manibus, ob deprædationes perpetrataq; latrocinia, combustum sit. Tractus is omnis, ultra etiam Rauracorum fines, Basiliensium præsuli paret.

Basileam proprius secundum Birsam, Dorneck arces tres aliæ spectantur, Dorneck, Bir- feck & Monchenstein, quarū primā à Io. Bernhardo de Efringen, ciue Basiliensi, Birseck, anno 1484 Solodurenſes sibi cōpararūt, Austriacorum strage anno post decimo- quinto à Heluetijs facta, nobilis: tertia, Monachorum domicilium, à Thuringo Monacho, Maximiliani Cæsaris conser- su, Basilienses anno 1518 emptionis titu- lo acquisiuerē, quum eam pignorum iure aliquandiu tenuissent: Media Episco- po ab antiquo parer, habetq; suum que- liber territorium.

Supra ueterem Rauricam inter meri- diem & occasum uno ferè milliario Lie- chtstalli oppidum est elegans satis, op- portuno loco situm, uniuersis istac per Heluetiam uel ad Insubres, uel Allobro ges proficiscentibus, obuium. Adiacet Aergitiæ amni, qui ē conuallib. sex pro- ximis, singulis fluuiolis siue torrentibus

auctus, rectâ Boream contrâ decurrentis,  
 & priscam olim Rauricam intersecans,  
 Rheni undis miscetur. Io. Stumpfius re-  
 rum Helueticarû scriptor diligens, istius  
**Arragonia.** fluuij tractum Arragoniam, ante sex se-  
 cula nūcupatum esse, ex monasterij San-  
 gallensis diplomate quodam, colligit.  
 Paruit oppidum hoc Homburgij olim  
 Comitibus, à quibus eadem proflus ra-  
 tione qua cætera, Episcopis intervenien-  
 tibus, ad Senatum Basiliensem peruenit.  
 Is è ciuium numero Pætorem quotan-  
 nis cōstituit, qui cum Senatoribus duo-  
 decim, rebus administrandis iuriq[ue] di-  
 cendo p[re]est.

C A P V T I<sup>o</sup> I I.

*Loca priscis Rauracis habitata. Augustæ excidium  
 atq[ue] ruine. Castra deserta. Priuato-  
 rum arces cultæ.*

**F**Narraui breuiter Rauracorum oppi-  
 da castraq[ue] publica. Restant priua-  
 torum multa, quorum nonnulla e-  
 tiامnum hodie habitantur, plæraq[ue] au-  
 tem in rudera abierunt, uel deserta colu-  
 bris atque noctuis frequentantur. Anti-  
 qui-

quitus enim multa nobilitas hos mon-  
tium atq; conuallium anfractus coluit.

Spectantur primùm supra Basileā exi-  
guo ultra Birsam interstitio, in capite <sup>Vuarten-</sup>  
montis, uersus Rhenum longius procur <sup>berg.</sup>  
rentis, trium desertarum arcium, manua-  
lis torméti iactu abinuicem distantium,  
ruinæ, quarū media, amplam turrim re-  
præsentans, firmissimis etiamnum mu-  
ris procul spectabilis existit: Vuarten-  
bergenses uulgò nuncupantur, hoc est,  
custodia montis. Plerique hoc Valenti-  
niani Robur fuisse opinantur, quod eum  
prope Basiliam contra Alemannos ex-  
truxisse, Marcellinus ratulit. Verùm his  
ego non assentior, cùm animaduerterim  
munita omnia specularum custodia-  
rumq; gratia condita, à Germanis <sup>Wart-</sup>  
<sup>beuser,</sup> montibus uero imposita, <sup>Warten-</sup>  
<sup>berg</sup> dicta esse. Ita binæ arces ultra Aro-  
lam, quæ Zofingam Ergouiorum oppidū  
itur, <sup>Wartberg</sup> superior & inferior, dicun-  
tur, nec procul abinde tertia distat, <sup>Wart-</sup>  
<sup>fels</sup> nomine. In Turgouia editissimo  
loco situm est castrum <sup>Wart</sup>, baronum  
quondam huius nominis, è quibus Al-  
berti Cæsaris imperfectorum unus pro-

dijt. **Wartësee** lacui Acronio adiacet, Blau  
rerorum hodie domus, pluraq; eius no-  
menclationis sciens prætereo. Locum  
Roboris illius Romani, cui nominis i-  
stius haud obscurum uestigium reman-  
sit, postea (si meæ quid ualent coniectu-  
ræ) designabo. Castra autem de quibus  
in præsentiarū sermo, Homburgiè quon-  
dam ditionis fuisse, ex instrumentorum  
apocryphis constat, quæ quomodo ad  
Lauffenburgensis stirpis Habsburgios  
deuenerint, antea memini.

**Schanzen.** In eodem tractu ulteriùs paulò, Schau-  
burg. wenburgum spectatur, quod idem ac spe-  
culam montis sonat, unde ad Rheni de-  
cursum liberrimus prospectus datur, qd'  
tamen unà cum prioribus, à ducētis an-  
nis terræmotuum uehementia cōqua-  
satum, incultum iacuit.

**Prattala.** Planitiem infra ad montis radices am-  
plissimis pratis uirentem, Prattala uicus  
cū arce eleganti tenet, cuius loci domi-  
nium nobilium ab Eptingen fuit, Basi-  
liensibus postea pretio datum. Locus  
adhuc in promontorio quodā illic mon-  
stratur, ubi arcem olim (fortè ante recen-  
zem hanc cōditam) ingenui hi coluere,  
di-

dictam *Zum Adler*, id est, Aquilæ castrum: unde præter deaurati scuti insigne, aquilæ transuersæ fusti coloris effigiem habentis, quod uniuersæ familiæ gentilium est, aquilam etiam supra galea prominentem, ornamenti loco inter arma gessere.

E' regione ad Rheni ripam, circum Augusto Aergetiq; fluuij ostia, uetus illa celebrisq; manuomina Rauracorum ciuitas stetit, cuius Ptole- colonia. mæus, Ammianus alijq; authores meminere. Hæc uniuersæ quondam gentis caput, à proprijs incolis, unà cum Helue tis uicinisq; aliquot populis in Galliā migraturis, in cineres redacta fuit. Illis autem à Iulio Cæsare ingenti clade ad patriam repetendam præter expectationem suam repulsis, cum ipsa urbs tenuibus ædificijs instaurata, loco Germanorum ferocitati refrenandæ accōmodo, sita esset: Augusti Imp. auspicijs, per L. Munatium Plancū virum Consularem, Romanis illuc ciuibus deductis, Colonia facta, inq; splendidiorē cultum paulatim reuocata est, Augusta in honorem Cæsaris appellata. Cui rei testimonium perhibet ueruissima inscriptio, quæ

Caietæ regni Neapolitani urbe, turris cuiusdam lapidi insculpta cernitur, sic habens,

L. MVNATIVS, L. F. L. N. L. PRONEP.  
PLANCVS. COS. CENS. IMP. VII VIR  
EPVL. TRIVMPH. EX RHETIS, AE-  
DEM SATVRNI FECIT DE MANY-  
BIIS; AGROS DIVISIT IN ITA-  
LIA BENEVENTI, IN GALLIA CO-  
LONIAS DEDVXIT, LVGDVNVM ET  
RAVRICAM.

Præter autem Coloniarum conditionē, uestigia eius quæ in campis undique super sunt, urbem hanc minimè exilem fuisse, docent. Namq; ad utriusq; amnis ripam ampio circuitu terra effossa, rude-  
ra murosque ostentat, ita ut non solum numismata multa, sed aliæ etiam anti-  
qui operis res quandoque inueniantur, possentq; multò plura Romanæ antiqui-  
tatis in lucem proferri, si quibus altius terram scrutari liberet, quæ alioquin se-  
pulta latent. Quibus etsi locus careret, unicum tamen Marcellini testimonium sufficere possit, qui Juliani ætate sub Ro-  
mana militia terris hisce perlustratis in  
concisa Gallię descriptione sic ait: Apud  
Sequa-

*Sequanos, Byzanios uidimus et Rauracos, alijs potiores oppidis multis.*

Excidium eius quod attinet, suspicor Augustæ eam unā cum Vendonensi, Argétarien- Rauricæ insi alijsq; pluribus urbibus atque castris, teritus. funditus euersam esse, quum Orbis metus atq; flagellum Attila Hunnorum ty- rannus, infinita barbararum gentiū mul titudine, ipsorum etiam Alemannorum viribus stipatus, populabundus in Gal liam penetrauit, & quæcunq; ad Rhenū munita deprehenderat, furiose expugna uit, atq; excidit. Sigismundi sane Bur gundionum regis copias, progressum eius in Basiliensium finibus remorari uolentes, profligauit. Cumq; post in Ca thalaunicis campis à Romanis, Franco rum, Gothorum atq; Burgundionum re gum auxilijs repulsi fuisse, furijs per citus, in omnia quæ redeundo inciderat loca, simili atrocitate debachatus est. Vnde Sidonius Apollinaris, eo tempore apud Aruernos Episcopum agens, epistola lib. 7, ad Ferreolum, eum Rheni hostem non temerè dixit. Incidit ista cal amitas, in annum salutis 451, quæ gene ratim ab authoribus ita relata est, ut fin-

gulorum locorum excidia sub uniuersali delituerint. Numismata sanè Romana, quæ in agris undiq; aratro subactis, in hūc usq; diem post tot secula reperiunt, subitā hominibus eorumq; fortunis cladem illatā esse, manifestē declarant.

At si quis libelli Prouinciarum authoritate motus, quod castrum Rauracense uocat, Castrum post desolationē hanc illic erectum fuisse contendat, eò fortè colle, in quo nunc tot ruinæ spētantur, cum eo non admodum pugnauero: id enim ab Hungaris postea, Bauariam, Alemanniā pluresq; terras, sub Ludouico Arnulphi Imp. filio, vastantibus, quemadmodum & ipsa Basilea excindi potuit.

Supereft illic ultra Aerigiriam uicus humilis, citra uerò prēter hospitium, publico sumptu erēctum, aliquot Basilien-sium ædes satis magnificæ, quas cum Vuernherus Vuölflius, & Ambrosius Frobenius non ignobiles ciues ante pauculos annos conderent, uarias antiqui operis res ex terra erutas inuenēre. Locus nomen adhuc Augustæ retinet. Exstant prope amnem, ad collem quendam laceræ

laceræ turrium quadratarum structuræ, supraq; eum tres vel quatuor aliæ, putorum instar: semicircularis tantum figuræ, ex seculo lapide factæ, atque in profundum demissæ, quæ cui seruierint usui, ignoratur. Præterea meatus quidam abhinc subterraneus secundum imam montis acclivitatem, ultra Liechestalli oppidum ad uiculum usq; *Beiken*, trium horarum itinere distante, ducitur, altitudine sua uiri staturam superans, qui quanquam multis in locis ruptus terraq; repletus sit, alibi tamen longitudinem eius supra triginta passus subire licet. Aqueductum fuisse libramentum cætraq; vestigia docet. *Vulgus* appellat *Dag Heidenloch*.

Montana illic secundum fluuij decursum, ante secula aliquot nonnullas nobilium domos, uelut in antiquæ Rauricæ suburbanis, habuere. Füllspergium primum, propè eiusdem nominis uicum, Vicedominorum Basiliensium. Deinceps uero *Elbis*, & *Burghaldæ*, ubi nomina tatum *Elbis* & indicia castrorum supersunt, quemadmodum & *Muntzachij* in opposito monte, ad *Rosariensis* uallis exitum, ubi

bi communis adhuc parochia est, quam  
prisco tempore quinq; equestris ordinis  
familias , diuinorum causa frequenta-  
re solitas fuisse , maiorum relatione in-  
notuit.

**Selbisberg.** Supra Liechtstallū in dextro móte, p-  
pe uicū Selbisberg monumétum aliquan-  
do in agris repertum fuit, sepulti corpo-  
ris ossa atq; militarem baltheum argen-  
tatis fibulis ornatum, continens. Sed &  
Pusiopagi, qui sexaginta fōcorum circi-  
ter uicus est, sub proximæ conuallis in-  
**Bubendorff.** troitum, uulgò Bubendorff, nominis eius-  
dem ingenuos habitasse, literarum sigil-  
**Cifn.** lorumq; indicio constat. Cifniæ præ-  
terea, loco conuallis eius minimè infre-  
quenti, ingenuorum ab Eptingen, qui se  
Cifnenses uocitārunt , ubi nunc paro-  
chia uisitatur, domum eminuisse, accolæ  
perhibent. In supremitate, prope Rigolts-  
**Rissen.** wiler, pagum ad Iurassi pedem , ubi ab a-  
quarum casu nomē traxit, Reifensteinij  
castrī ruinæ uisuntur, fruticibus impedi-  
tæ, lemuribus item infestatæ. Hic ego  
ingenuos quondam de Rigoltswiler habi-  
tasse arbitror, quorum memoria facta-  
rum donationum causa , instrumentis  
cœno-

cœnobij Schöntal, non procul abinde siti,  
conseruata est.

Monte intermedio, qui uallem hanc  
ab altera, quâ Vualdenburgum iter est,  
separat, præalto insidet saxo, castrum  
Waldenstein, fossis antemuralibusq; satis  
munitū, à nobili uiro Bernhardo Bran-  
do Tr. plebis Basil. recens in meliorē cul-  
tum reuocatum: à quo aliud, Gutenfels ap-  
pellatum, prisca ætate nō procul absuit,  
utrumq; cum ab Eptingerorū progenie  
habitatum. Memorantur & alia uicinis  
in locis, de quibus nihil præter nomina  
superest.

Vailden-  
stein.

Gutenfels.

In Sisgouensi tractu ad principis pagi  
dextram, cōuallis exit, in qua arces fuē-  
re Rencken, Eschenz, Ruch Eptingen, &c. unde Eptinger  
amplissima Eptingerorum familia no- thal.  
men habet, quorum st̄ps in triginta cir-  
citer ramos dilatata fuit, solo cassidum  
ornatu discrepantes, cuius specimen, se-  
pulturæ eorum supra uiginti in uicino  
Vestaliū cœnobio Olſperg, exhibent.  
Plurima namq; ea nobilitas apud Rau-  
racos loca tenuit, è quibus etiā Bischoff-  
steinium fuit, cuius rudera supra Sissacū Bischoff.  
rotundo promontorio imposita patent, Stein,  
in

in quod nunc Offenburgij iuris aliquid feudi loco possidet. Fuit & Entenberg prope *Kvenslingen*, & si quæ alia, à me præterita.

**Kienberg.** Iurassum præterea eo tractu nobilissimæ olim familiæ coluere. Nam & Kienbergij barones illic sedes habuere, ubi pagus huius nominis reliquus, ijs multò antè extinctis. Meridianum præterea latus collapse arcis Vroburgensis ruinas ostentat, unde potentes illi Comites, aquilam nubibus testam insignium loco gerentes, denominati. Verius Rhenum quoq; nō procul à Vualdeshuto, Bernouia gentis heroes, ante trecentos annos dominium cum castro tenuere.

**Bernouia.**

**Vroborg.**

### C A P V T I I I I

*Rauracorum Cœnobia.*

**Belleclay.**

**S**ed neq; Cœnobia terræ Rauracæ mihi reticenda uidentur. Ex eorum numero Bellelagium primò sese offert, non procul à petrea porta, Benedictinorum monasterium, instituti Præmonstratensis, duodecimo post Christum seculo ortum, tali (ut eorum annales habent) occa-

occasione. Sigenandus ecclesiæ collegiatæ, quæ est in Grandi ualle Præpositus, circa salutis annum 1140, uenationis causa in ulteriore sylva in progressus, ac suem satis opimū cōspicatus, cum eius uestigia comitibus desertis incautiū sequutus fuisset, in obscurissimi ac impediti nemoris tesqua, nullis unquā hominibus frequentata, incidit. Hinc igitur se se eripere tentās, magis magisq; deuius, nec ullam exitus viam reperiēs, noctem intra solitudines transigere cogitur. E' quibus cum se nec lequenti die per montium saltus oberrans, expeditre posset, nec quisquam itineris monstrator inclamanti responderet, animo consternatus, fali tandem erigendi uotum Deo concepit, si eum nō uoto itineri saluum redderet. Cuius cùm tertio tandem die compos factus fuisset, non multo pòst sacrarij unctione, in eo monte, uotum exoluit, cui deinceps monasticæ uitæ religio accessit, ita ut Ortliebus Basiliensis Episcopus, Anno 1170 Abbatia illic exerit, multisq; iurib⁹ donauerit. Nomen hinc eo idiomate speciosum suem denotat.

Grandis

Monasterium Grandis uallis autem monasterium  
 Granualt. quod attinet, tradunt, diuum Germanū,  
 Optardī uiri nobilissimo loco apud Tre-  
 uiros nati, filium, à Modoaldo urbis e-  
 ius Pontifice educatum, postea uero mo-  
 nachum factum, ad Gundonij Principis  
 terræ illius preces, Vualtberto abbatे,  
 Diuus Ger ex Luxouiensi cœnobio cū fratribus ali-  
 manus. quot, eum in locum à Principe illis desi-  
 gnatum, concessisse, atq; monachalis ui-  
 tæ instituta docuisse. Præterea supra  
 Telamontium, angustias eas, p quas Bir-  
 sa prope Rennendorf cautibus exaspera-  
 ta exit, patetecisse, de quo Sebastianus  
 Brand in uita eius sic cecinit,  
 Difficilem introitum montis Germanus aperitum,  
 Et geminas portas parte ab utraq; facit.  
 Cernitur usq; hodie patefacta per ardua saxa,  
 Per scopulum, & petras, mirificam esse uiam.  
 Quam medius gurges intersocat: inde per ima  
 Vallis, ad oppidulum defluit unda Deli.  
 Mortuo tandem Gundonio pio prin-  
 cipe, filios eius improbos Cathicum &  
 Cathelmundum successores, parentis  
 donationes nouæ huic ecclesiæ factas,  
 rescidisse, religiososq; uarijs modis af-  
 flixisse, ac demū armata manu, alter qui-  
 dem

dem per Sornæ uallem descendendo, alter uero secundum Birsam ascendendo, cædibus atq; rapinis omnia defœdasse, simulq; Germanum uirum sanctum trucidasse, 9 Kal. Martij, anno septimi seculi non satis certo. Bertham deinceps, Parteniacensis cœnobij fundatricem, Rudolfi Iurensis siue Burgundiæ regis uituduam, quæ è Comitibus Vroburgensi- bus, non Friburgensibus, nata fuit, circa salutis annum 932, Canonicorum Colle- gium illic instituisse, inuenio, qui hodie Telamontij habitant, & Ecclesiam ante quadriennium circiter igne cœlesti de- formata, ut liquefactæ tiam turris nolę defluxerint, reparant. Distat à Basiliensi- sum ciuitate milliaribus quinq; à Solo- dorensium duobus.

Ad decurrentis Birsæ dextrum latus uallis ad Meridiē abit, in qua supra Tiersteiniorum nobile castrum, diuini Vincen- tij monasterium est, professionis Bene- dictinæ, nomine Beinwiler. Initium sum- psit eadem ætate qua Luceleffse, autho- ribus Nokero, Oudelardo, Burchardo atque Vdalrico, uiris nobilibus, in quo- rum proprietate initio costru&um fuit,

C ut

ut diploma cōfirmationis Friderici Baro  
barossæ Imp. apud Vlmam, anno 1152 fa  
ctæ, sonat. Cuius hi familiæ fuerint, nō  
exprimitur. Ego eos Sogerensis profa  
pię fuisse reor, sola nominū coniectatio  
ne ductus. Oudelardum enim ē funda  
toribus unum, Cœnobij aduocatum e  
gisse, præfatum instrumentū docet, quo  
etiam sanctum, ut defuncto eo, proxi  
mus illi hæres in officio succederet. Ou  
delardum porrò Sogerensem Comitem  
per ea tempora in uiuis fuisse, antea mo  
nui. Hisce igitur deficientibus, aduocati  
forte munus ad Tiersteinios Comites  
deuenit, qui anno 1240 atque deinceps,  
dignitatem eam in protegendo Cœno  
bio eiusq; mancipijs, uillarum Liel, Nuge  
rol, Erisweiler, &c regendis, sustinuere, at  
que ab Imperio feudi loco tenuerē.

**Litzel** Ad lœuam autem Birſæ ultra Laufse  
mum oppidum, Lucela uallis occurrit,  
extra Rauracorum quidem ante defini  
tos limites ad occasum magis excurrēs,  
ipsis tamen Iurassi montanis clausa, cu  
ius supremum locum eius nominis Cœ  
nobium occupat. Cœpit id non multo  
pōst, quām Cistertiēsis propositi religio  
(quæ

(quæ reliquis Benedictinæ familiæ professionibus syncerit uidebatur) apud Burgundos introducta esset, anno supra millesimum plus minus centesimo tricesimoq;. Fundatores fuere Hugo de Calmillis, Amedeus de nouo castro, & Ricardus de Môte falconis, viri illustres atque nobiles, nō solum loci participes atque possessores, uerum etiā apud Ansericum Bisuntinum pontificem atque Bertolfum Basiliensium præfulem proximachis intercessores, ut illorum auctoritate huius loci religio sanctaretur, testibus confirmationum diplomatis, quorum primum à Humberto Archiepiscopo Bisuntino & Adalberone episcopo Basil. Anno 1136 datum est, reliquorum nobilium aliorumq; donationes uarias complectens: alterum à Conrado 2 Romanorum rege, precibus Ortliebi Episcopi triennio post impetratum, tertium ab Eugenio 3 pontifice Altissiodori, anno 1147 acceptum, Christiano quodam primo sodalium illorum præside.

Huius Ordinis fœminæ, circa hæc tempore Michelueli, dimidio infra Basileam miliario, ubi nunc Pandochium

est, confedere, Lucelensem etiam Abbatem superiorem suum agnoscentes, quæ tamen postea Blotzhemium, in vicinum ditionis Austriacæ pagum, concessere, ibique templum cum monasterio condidere.

Supra ciuitatem, infra Vuartenbergia castra, retro Mutenzam populosissimū pagum, cœnobiolum fuit cum facello cæterisq; necessarijs ædificijs, muro circumactum, in arcta ualle, Germ. Engenthal. Id Monachorum subsidio (ad quorum territoriu• locus olim spectabat) mulieres uelatæ, quas Beginas uocitârunt, siue sorores de tertia Francisci regula, incoluerēre, quando post diuturnam monachorū conflictationem ad longum alibi descriptam, anno 1411. domus earum uiginti circiter, in ciuitate Basiliensi abrogatae fuere, omni earum religione explosta.

Desolatum est anno 1525 agricolarum furore, quando ex omnibus Basiliensiū præfecturis congregati, contra Magistratum suum ad ipsa urbis usque mœnia arma ferre ausi sunt, cuius rei historiā suo tempore expediam.

Haud maiore supra Birsam interstitio, loco

loco tamē huic opposito, ad ripam Rhe-  
ni, in media sylua ædicula fuit, German.  
Das Rothauß, sodalium aliquot, eremiticā Rothauss.  
uitam profitentium, habitaculum, qui se  
à Paulo nobili Anachorera, qui Decij &  
Aurelianī Imp. persequutionibus ui-  
gentibus, annis 96 uitam in solitudini-  
bus transegit, Paulinos uocitārūt. Quan-  
do contubernium id defecerit, incertus  
sum. Successere tamen Beguinæ, quibus  
cum furibundi coloni, anno prænotato,  
grandia damna intulissent, in montem  
proximum sub desertam Schouuenbur-  
giorum arcem, in locum à hominū con-  
uersatione semotiorem, commigrārūt.  
Hodie prisca earum sedes adeò splendi-  
dis ædificijs culta est, ut nobilissimo cui  
que sufficere possint.

Porrò Rinfeldię ad occasum uallis est,  
inter iuste altitudinis montes, per quam  
Feria riuus, Austriacam ditionem à Basi-  
liensi dirimens, defluit. In ea Olsper- Olsperg  
giū, nobilium puellarū cœnobium, quod  
circumsidens nobilitas, etiam ex Comi-  
tum genere, filias suas religiosæ uitæ e-  
mancipatas, quondam ablegare solita  
fuit. Quo authore & tempore ortum

sit, ob incipiam instrumentorum, quæ bñ  
nis huius loci incédijs conlumpta sunt,  
non constat. Io. Heroldus quidé Cade-  
lochi Arragouiæ Comitis (is sub Arnul-  
pho Imperatore uixit) filio tribuit, à quo  
Cadolsberg, id est Cadelochi mons, cor-  
rupto dein nomine Olsperg, appellatū  
sit. Verùm cum opinionis eius testem  
non habeat, incertum relinquitur. Veri-  
simile est, ob Cistertiensis ordinis pro-  
fessionem, ea ætate cepisse, qua religio  
ista apud Burgundiæ Cistertium pullu-  
lauit, quod in annum 1098 authores re-  
ferunt. Præter nobilium monumenta ni-  
hil quod antiquitatem resipiat, ob tem-  
porum iniuriam, illic superest. Rustico-  
rum postremum tumultibus, quibus cœ-  
nobium id extremè spoliatum est, ista  
religiosarū uita dissipata fuit: ante pau-  
cos tamen annos per Alsaticam Austrio-  
rum Curiam restaurata.

Haud procul ab inde alia monialium  
domus cū sacrario stetit, quod ab heri-  
Iglingen eijs Iglingen nuncuparunt, ubi Olspergen-  
sis congregatio uillas quasdam seu pre-  
dia rustica prius habuerat. Locum hunc  
religiosa quædam societas, ab Olsper-  
gensi

gensi conuentu, Margarita de Hungerstein Abbatissa, circa salutis annū 1420 multis precibus, impetrauit, perpetua subiectione oblata. Rinfeldiae autem hoc Beguinorum collegium prius egerat, unde exactas eas fuisse reor, quod se etiam suam deserere nollent, quæ tum publicis Episcopi processibus proscrita atque damnata erat. Hodie solo curatore administratur.

Præterea supra Vualdenburgum in Iura monte cœnobium uisitetur, cui titulus à loci elegantia, Schöntal, id est, speciosa ual Schöntal. lis. Debetur id priscis Comitibus à Vroburg, qui allodium suum amplissimum eo loci cœnobitis hisce emancipârunt, unà cum uiciniis ecclesijs uillisq; Titterté & Bennuila, circa salutis annum 1150: nominatim autem Aelbertus de Vroburg cū Sophia cōiuge, filijsq; Volmaro & Ludouico, laudate Ortliebo Basiliensiū præsule, de eadem stirpe prognato. Benedicti religionē primū amplexi sunt, postea ad Augustinensiū regulam defecere. Antiquitatis indicia, quorum illic multa fuerunt, rusticorum uesania, anno illo plurimis monasterijs fatali, post ho-

stiles omnium rerum direptiones, uastauit & aboleuit. Templum eius uicinis Langenbrugensibus parochiæ loco hodie inferuit, quorum ædicula sacra igne fortuito ante annos aliquot conflagravit. Locus is longi pontis nomē habet, quod uia illic per montem cæno impedita, pontis instar, lignis constrata sit. Reliqua cœnobij ædificia uillico habitationem præbent, qui Prochotrophij Basiliensis armenta curat.

Non procul inde petra cernitur alta, turris ad instar rotunda, quam nemo circa scalam ad miniculum conscendere potest, è cuius summitate ad utramq; uiā ascensus atque descensus, prospectus patet. Murorum reliquiae illic inuertæ sunt, existimaturq; speculam olim fuisse.

Seckingen

Seckingense uero cœnobium quam superius tetigerim, tamen ne antiquissimum & nobilissimum universæ huius regionis, leuius perstrinxisse uidet, pauca hæc superaddam. Conditū est, teste Notgero S. Galli abate, qui anno septem ferè secula fundatoris uitam descripsit, anno supra quadringentesimum nonagesimo quinto, à diuo Fridolinō

Iuno Scoto, quem regis illius filium fuisse perhibent. Hic sub Clodoueo Francorum rege, Christum prædicandi causa ex transmarinis terris, ad Hilarium Pietauensem episcopum in Galliam ueniens atq; Burgundiam, cœnobia aliquot instituit. Post uaria demum pietatis exempla, ad Rhenenses hasce regiones progressus, Seckingæ locum delegit, ut ædem illic religioni dicatam strueret.

S. Fridoli-  
nus .

Cæterum ab accolis inde deturbatus, plurimisq; iniurijs affectus, cum illustri loco natus, illustre etiam nomen sanctitatis fama sibi comparasset, Clodouei præsidio (cui tum post deuictos Alamannos terra isthæc perebat) insula dono accepta, Sanctimonialiū collegium erexisse, eiq; diuinorum oraculorum interpretatione, ad finem usque uitæ præfuisse, scribitur. Scio si quis singula ad uiuum resecerit, tempora isthæc cum suis rebus non satis congruere.

Inter miracula illi attributa numerantur, eum solis precibus Rheni undas bifidas fecisse, ut alueo duplice circuifluo, collegiū intra insulam concluserit. Præterea cum è duobus fratribus, Claronen-

sium apud Heluetios dominis, Vrso integrum regionis eius sibi debitam partem, S. Fridolino moriens legasset, atq; id Landulphus fratrū alter, Vrsone extincto, rescindere & ad se rapere tentasset : Fridolinum Vrsonem à mortuis excitatum iudici adduxisse, ut uiuo eius testimonio fratris conatus reprimetur. Quo illum miraculo cōmotum, non solum fraternalm partem deseruisse, sed suam insuper diuo Fridolino adiecisse. Hinc illi uersiculi:

Prædia pro Domino dant fratres: hic Fridolino.  
Tempore post multo negat alter, fratre sepulto.  
Suscitat hunc testem Dominus, ducitq; benignus:  
Turba timore tremet, sanctus sua iura redemit.

Hinc Claronēses iuris monasterij Seckingensis ab antiquo fuēre, quod & annua legatione, missis ad hanc Fridolini basilicam muneribus, testari consuegunt, nisi quodd multis immunitatibus donati, non ut aliarum ecclesiarum mancipia seruierint.

Aduocatos habuit primū Franco-  
rum, postea Austrasiorū, inde uero Ger-  
manorum reges, usque ad annum 1181,  
quo Fridericus Augustus inter filios im  
perium

perlungum distribuit. Tum enim Othoni Burgundia cessit, simulq; huius loci aduocatia, ut ex ueteri formula pacis, finiū inter Vranienses & Claronēses designationem cōtinens, patet, Claronæ, 3 Kal. Septēbris, Dominicæ incarnationis anno 1196 perscripta, in cuius fine ista leguntur: Et ne ista commutari possint, sigillo Otttonis Palatini Burgundie, præsens charta impressa est, quia ipse est Aduocatus Claronensem. Sigillum autem Aquilæ effigiem habet, capite ad pectus inclinato. Stirpe horum Principum deficiente, aduocati munus uicinis Habsburgiorum Comitibus delatum est, quo etiamnum Archiduces Austriae funguntur.

## C A P V T V.

*Vrbis Basiliensis situs, primordia, nomen.*

**N**unc ad BASILEAM gentis pri  
mariam urbem initio mihi propo  
sitam, transeo. Sita ea est ad Rhe  
num flumen, exiguo infra Birse ostium  
interuallo, in Boreo Rauracorum angu  
lo, Sequanis Cismontanis confini, loco  
aeris amoenitate salubritateq; commen  
datiss.

datisimo. Communi tamen hominum suffragio Rauracis potius quam Sequanis attribuitur, uel quod ex antiquo Rauricæ cineribus Phœnicis instar emerse. Bafilea Rau  
racis cōnu-  
meratus. uel quod Episcopatu florente, preter Ecclesiasticam iurisdictionem, magnæ parti imperarit, atque hodie etiam ampla terræ huius portio tam Præfuli quam urbis Magistratui subjiciatur: uel quod qui se primum Rauracenses Episcopos nominarunt, Basilienses postea dici maluerunt. Occupat conuallis leniter acclivis extum, quam à limi copia ( totus enim tractus eius argillosus existit ) uulgò Das Leimthal appellant, ita tamen ut utrumque clivum spacio circuitu complectatur. Birsicus fluuiolus in supremitate uallis, ex monte Blauio, Iurassi brachio, ortus, eam per medium secat, elotisque sordibus prope pontem in Rhenum exit. Ulteriore ripam urbs minor tenet, que temporis successu, ut postea dicetur, huic accreuit.

De urbis o-  
rigine con-  
iectatio. Coniecturæ sunt non leues, eo loci ubi Basilea hodie constructa cernitur, Rauricorum Augusta adhuc florente, passagium siue trajectum fuisse, rerum in Germania-

manicum solum, uel ecōtra, transuehendarū. Eius enim magna illic opportunitas esse uidetur. Rhenus namq; unico ibi alueo, in plures alibi diuisus, altis minime crepidinibus, nullis itē aquas exasperantibus scopulis, placidē decurrit. Vnde nō inepta cōiectatio, ob hominū eō commeantium frequentiam, nauiculaliorum habitationibus diuersoria domosq; alias accreuiisse, locumq; paulatim pluribus ædificijs cultū fuisse, præterea commercia illic agitari cœpta. Ipsam deniq; loci commoditatē, Auguſtalis Rauricæ positum longè superantem, quæ & plurimis fontibus irrigua effet, homines iuuitasle, ut ædes ædibus coniungerent, atq; has habitandi sedes deligerent. Beati Ianè Rhenani antiquitatū Germaniæ peritisimi uiri, opinionem, quā ex eruditorum hominū atq; eiuscmodi rerū studiosorū, sententia hauferat, multis admodum probari video. Quod si & hæc eius opinio labe non caret, qua Ariouistum Germanorum regē, cum C. Cœſare in Sequanis congressum, eo loci in fugam uersum fuisse colligit, Ariouisti ubi nunc diui Apollinaris cœnobiū est, fuga.

uno

uno milliario Basileæ ad occasum distan-  
te: nulla dubitandi occasio relinquitur,  
quin hoc in loco, quem passibus circiter  
quinq; millibus illinc absuisse scribit, ad  
Rhenum peruererit, ubi perpauci aut ui-  
ribus confisi tranare conderint, aut  
inuentis lintribus saluti consuluerint, i-  
pse autem nauicula ad ripam deligata,  
profugerit. Vnde manifestum, lintrum  
nauigiorumque illic frequentem usum  
fuisse, quæ Germanis ex periculo se se-  
proripientibus, fors ipsa obtulerit.

Cæterum ducentis pluribusue post  
Christum incarnatum annis locum ad-  
**Tempus e.** **huc obscurum aut non magnopere cul-  
nat<sup>r</sup> urbis.** tum fuisse oportet, cum illius nec Geo-  
graphia Ptolemyi, neque Antonij Aug.  
Itinerarium (quod Cambetim tamē uul-  
go Kems, pagum duobus milliaribus in-  
feriorem, non prætermisit) ullam men-  
tionem fecerit. Rauracos sanè unà cum  
Cæsare, Plinio, alijsq; norunt, Basileam  
uerò prorsus tacent. Inter probatos ego  
authores Ammiano Marcellino antiquo-  
rem inueniri non reor, qui Basiliæ no-  
men prodiderit. Is trecentis sexaginta  
circiter post Saluatorem annis, terras ha-  
sce

scē perlustrauit , atque Valentinianum  
Cæfarem , Gratiani Aug. fratrem , pagis  
aliquor Alemanniæ uastatis , propè Basili-  
liam (quam nostram fuisse omnes histo-  
riæ circumstantiæ docent) contra indo-  
mitam eorum potentiam , mumentū ,  
Robur acrolis dictum , condidisse testa-  
tur. Id hodiernum Cathedralis ecclæsiæ  
locum tenuisse , postea dicetur.

Quanquam enim Phlegon Trallia-  
nus , Adriami Imperatoris liberius , libel Phlegontis .  
lo de Mirabilibus & longæuis , in Cata- Trallianis  
logo eorum qui centum annos uiixerunt , locus .  
P. Neuium , L. F. & paulò pòst , Saluiam  
Varenam , P. F. tante ætatis homines Ba-  
fileam tulisse , ex censuum cōmentarijs  
referat : eum tamē de alterius cuiusdam  
nationis urbe loqui , nihil addubito ; præ-  
sertim cùm se de Italijs dicturum , initio  
profiteatur , animaduertāq; eum in Gal-  
lijs urbem nullam tangere multò minus  
in Germania , ubi altero post Christum  
seculo nullæ fuerunt.

Quòd si quis urbem hanc mea opinio Coniectura  
ne antiquiore esse , ex diuæ Vrsulæ , un- ex Vrsula  
decimq; millium uirginum historia , Pan historia ins-  
taliq; tempore (quem primum Baslien- sis

sis ecclesiæ Episcopum, istarum puellatum comitem, anno salutis 238, una cum sociabus Coloniæ martyrio affectum esse legitur) inferri posse existimet: ab eo ego certiora testimonia requirā, quām diuorum quas uocat Legendas, in quibus Monachi res ueras tot somnijs contaminārunt, ut sāpē numero quid credendum sit non appareat. Insigne quippe apud probatos authores de tempore huius uirgineæ peregrinationis uariationem inuenio, nonnullis (inter quos etiam Otto Frisingensis episcopus est, libro 4, capite 28) eam in Attilæ furores, scilicet annum salutis 451, reijcientibus, ut absurdā reliqua taceam. Quod fit ut haudquaquam sufficienter inde probari possit, urbem nostram, secundo postremæ huius mundi periodi seculo, extitisse, unde Episcopus nomen acquisierit. Nam ut cætera in magno opere discussa præteream, constat Episcopos annis trecentis posteriores, nō Basiliensium, sed Rauracensium præfules fuisse nominatos: id enim Conciliorum Tomi, quibus maior fides, quām uel minus authēticis scriptoribus, uel uulgi opinioni

ad-

adhibenda, restatum faciunt. Ut neuti-  
quam uerisimile sit, Pantulum Basiliens-  
em, sequentiū uero seculorum aliquot,  
Rauracenses dici uoluisse, posteriores  
deniq; pristinum resumpsisse nomen.

Quod ad libellum Prouinciarum, qui  
in Sequana magna Basiliensem Ciuila-  
tem expressè recenset: cùm non constet  
quo tempore conscriptus sit, nihil me  
moner. Quanquam si certi essemus, ca-  
talogum eum Romanorum imperio flo-  
rente confectum esse, haud multò am-  
plius promoueret: cum dubium non sit,  
posterioribus seculis exortas urbes ab  
alijs in primum abacum relatas fuisse,  
quemadmodum eiucemodi librorum  
transcriptione fæpenumero fieri solet,  
ut ueteribus recentia assuantur.

Sed ut ijs, qui Basileam secundo no- Nicolaus  
uissimi temporis seculo urbis formam Cusanus.  
habuisse opinantur, subscribere nequeo:  
sic neq; Nicolaο de Cusa Cardinali, qui  
structuram eius in decimam usque Cen-  
turiam reiecit, suffragari decet, dum eām  
libro tertio de Concordantia Catholica  
quingentis annis ante generale Conci-  
lium, ab Henrico Imp. conditam tem-

D plisq;

Libellus  
Prouincia-  
rum.

Basilea de  
stabilita.

plisq; ornatam fuisse annotauit, Augusta prope eam à Hungaris desolata. Id enim de restauratione, non primo eius ortu accipiendum fuerit. Hungari námq; post uarias in Germaniam excusione, direptiones, populationesq; Anno 917 Bauaria Sueviaq; miserè uastata, Hermanno Contracto teste, Basileam etiam inter cæteras urbes immani ferocitate destruxerunt, flammisq; deformarunt, postquam eius incolæ (si Bebelio credimus) aliorum exemplo territi, cum ad immanem eorum uiolentiam propulsandam, neutiquam sufficerent, deferta urbe, in proximas sylvas se seculuisserent.

Non igit adhuc recens Basilea est, nec tam ante Meissiā incarnationū exorta: quin potius eam hominum societatem, quæ tum Basileæ erat, excisa Augusta maiora incrementa suscepisse arbitror, donec successu temporum in iustum magnitudinem excreuerit, quā mœnibus etiam muniendam posteri césuerint. Sic enim res hominum fatali consilio alternantur, ut quemadmodum in Physicis rebus destructio unius alterius procreationē in-

inducit, ita & in politicis. Sic Babylon Seleuciam, Carthago Tunetum genuit, & ne longinqua petamus, Argentuaria Colmariam, Elcebus Selestadium. Consequuta sunt ergo hic commertia fréquentiora, quæq; in deserta Augusta peragi solita sunt, Basileam translata, ab Alemannis deniq; qui post Húnicas clades illuc hæfere, cultior facta.

Sanè quæ de primordijs urbis in me- Primordia  
dium attuli, cōfirmare uidetur, quod eo urbis ubi in  
in uico, ubi eius rudimenta iacta, ædes a.  
earum adhuc rerum nomina, quarum u-  
sui antiquitus destinatæ fuerant, retinue-  
rint, qualia sunt à statera mercatoria, nu-  
mulariorum abacis, talis receptaculis,  
institoribus, Germ. Zur Fronwog, Wechsel-  
benchen, Auff den Saltkästen, Kremergäß, &c. e-  
tiam si nostro tempore alijs in locis sin-  
gula hæc uideantur. Quinimo Prætoriū  
antiquissimæ turri, ex quadrato lapide  
structæ, quam à sale illic asservato deno-  
minant, uicinum fuisse certum est, atque  
ē regione diuī Brādani siue Brandulphi  
facellum uerustissimum. Illuc enim ante  
trecentos annos iura incolis data fuisse,  
instrumentorum testimonio didici. In-

ter plura occurrit unum, uenditionis cū iusdam recognitionem continens, cuius principium sic est. Petrus aduocatus, Otto Scultetus fratres, dicti Scalarij, Henricus magister ciuium, dictus Steinlin, consules et uniuersitas ciuium Basil. Sub finem autem, Actum ante Capellam S. Brandani, infra muros ciuitatis Basiliensis. Anno Domini 1253.

Nominis rationem patere, Rhenanus autumat, Basileam à passagio quasi Passileam dictam, nec admicatio. quod uel à Henrico Romanorum rege, instaurata sit, uel ob amplitudinem elegantiamq; urbs regia dici meruerit: cùm certum sit, Basileæ nomen ante Henricum extitisce, nec quæquam circa primordia eius diuinare potuisse, qualis ipsa futura esset. Qui eam à Basilisco illic inuenito denominatam esse nugantur, ferendi non sunt. Probabilis Heroldi sententia forret, qui eam à Tito Minutio Basillo deriuat, quemadmodum alij à Basiliina Iuliani Cæsaris matre, siquidem eius opinonis fideles adducerent testes. P. Ramus cogitandum monet, num Basilij Sarma-tæ ad utranq; Danubij ripam apud Strabonem,

bonem, aliqua belli tempestate huc de-  
ducti, nomen urbi dederint. Futilis est  
etymologia Hartmáni Schedel, in com-  
plemento speculi historiarum Vincen-  
tij, qui Basileá dictam existimauit, qua-  
si sine basi, eò quod frequentibus terræ-  
motibus concuteretur. Non minus ridi-  
cula est, quā Iohannes de Palomar, Con-  
cilij Basiliensis Orator, in frequenti re-  
gni Bohemiæ conuentu, Anno 1433 Pra-  
gæ commentus est, dum eam ex duabus  
dictionibus Græcis, βάσις & ἡδος, cōpositā  
esse docuit, eò quod Synodi decretis  
Christianus populus in fidei dogmati-  
bus confirmandus fuerit. Acuta profe-  
cto & tanto Doctori digna etymologia,  
similis ei, quam Cusanus de Græco no-  
mine Simonis apostoli adducit, quando  
uocem πύρην Hebraicū facit idiomatis, à  
beth quod domum & rosch caput signifi-  
cat, deriuatam, eò quod caput fuerit  
Ecclesiæ. At isthæc suis autho-  
ribus relinquamus.

## C A P V T V I.

*Episcopatus initia. Pantali Ursulaq; historie.*

*Certiores Episcopi, eorumq; suc-  
cessio.*

Episcopa-  
tus uigeat  
gentilis  
mo cepit.

**E**piscopatus Rauracensis initia quod attinet, credendum, eum ante priscæ illius Rauricæ metropolis excidium, è medio paganismo enituuisse, eiusq; prima sede collapsa, Basileaq; caput erigente, eò translatum fuisse, non secus quām Vindonensis Constantiam, Auenticensis Lausannam, Coloniæ equestris Bellicium, &c. Namq; ueræ fideli prædicatione mox post Apostolorū tempora in Gallicas regiones emanasse, narijs propagatæ Ecclesiæ historijs edoceri posset. Maternum quidem de 72 discipulis unum, apud Alsatas qui tunc Triboci nūcupabantur, Treuerensibus connumerati, Apostoli Petri mandato, Christum docuisse, memoriae proditum est: testantur & idem altero post Saluatorē seculo illustres aliquot Galliarum martyres, doctores & ecclesiæ. Verum Episcoporū conditio ea tempestate coram mun-

mundo, inter mortales gentilismo ad-  
huc deditos, ipsis Magistratibus longo  
usu confirmatam Idolomaniam secan-  
tibus, & in maiorum tenebris persisten-  
tibus, uilis, abiecta, quinetiam laborio-  
fissima fuit, utpote quibus nil aliud cu-  
ræ esset, quam omnibus eò neruis con-  
tendere, ut pulsa innata hominum igno-  
rantia, salutiferæ fidei cognitione eos  
ambuerent.

Quòd si etiam PANTALI tempus non  
fallit, quem Basil. περιτοποιησεν Anno 238  
in uiuis fuisse, communis habet persua-  
sio: dubium nemini relinquitur, consti-  
tuendæ Ecclesiæ primordia, sub Roma-  
norum eorumq; præsidum imperio, qui  
partes has cōtra Alemannorum feroci-  
tatem tutati sunt, & gentium supersticio-  
nibus addictissimi erant, iacta fuisse. Cæ-  
terum de Pantali tempore authorum di-  
scrépantes esse sententias, ante monui.  
Vniuersi quidem pastoralem illius curā  
diuæ Ursulæ peregrinationi coniungunt,  
eūq; simul martyrij laurea accepisse refe-  
runt. Verùm quod alij tertio à nativitate  
Dominica seculo ascribunt, id nonnulli  
quinto, Attila ad Rhenum grassante, con-

D 4 tigisse

Pantali tē-  
pus dubiū.

tigisse memoriæ consecrârunt. Contro-  
uersiam hanc sapientibus discutiendam  
relinquo.

D. Vrsolz  
historia.

Quod ad VRSVLÆ Belonitæ historiâ,  
uirginem hâc Dionoti Cornubiæ regis  
in Britannia filiâ fuisse, omnes tradunt.  
In occasione autem referenda, qua cum  
comitibus suis in continentem traiecte-  
rit, iterum dissentunt. Legenda uero  
quam uocant, narrat, eam xi millibus sti-  
patam uirginibus, Cyriaco papa præsi-  
dente, Romam contendisse. Cumq; ad-  
uerso flumine Rheno nauigijs Basileam  
appulissent (quod tamen ob fluminis ra-  
piditatem non nisi maximo labore, du-  
ploq; difficultius quam terrestri itinere fie-  
ri potest) diebus aliquot illic substitisse.  
Commonstrantur adhuc gradus, à Mar-  
tiniano templo nomen habentes, per  
quos cliuum eum cōscendisse, quinetiā  
domus in antiquissimo urbis uico, sta-  
tuam illius præ se ferens, qua eam diuer-  
tisse, plebeio rumore accepimus. Huic  
puellarum cœtui Panthalum itineris co-  
mitem in Vrbem usque factum, ijsq; unâ  
cum Pontifice, contrâ cleri Romani no-  
luntatem, in Germaniam reductis, dum  
san-

sancta isthæc societas per Rheni decursum patriæ repereret, Coloniae à Hunnis maestatam esse, Vrsulæ pectori telo transfixo. Fastorum libri ad 5 Idus Octobris referunt, quo die patrum ætate Basil. ecclesia suæ dedicationis memoriam celebrauit, quemadmodum sequenti, Pantali, cuius caput eo die Basileam relatum esse, in antiquissimo templi Petrini anniversariorum libro, notatum inuenio. Ferunt deniq; de grege ista itineris difficultate multas absumptas esse, è quibus uirgines tres, Cunigundā, Vibrandem atq; Mechtildem, Eichseliæ comitatus Rinfeldici pago, tumulatas, apud Rauracos obiisse uolunt, Christianā Basileæ atq; Aureliam Argentinæ.

Quantis tamen absurdis isthæc historia conspersa & in suspicionem adducta sit, quæ de sola Christiana referuntur, restantur. Cùm enim illa Basileæ uitam cū morte mutasset, loco eam moueri non potuisse, donec iuuencæ duæ, quarum colla iuga nulla sensissent, loculo illius aucto, quiete sua, humandi corporis locum designassent. His iter ingredientibus, cessisse omnia, saxa, arbores, ingen-

S. Christia-  
næ obitus.

62 EPITOME HISTORIAE

etiamq; robora, nihilq; demum has sacræ  
puellæ reliquias remorari potuisse, quò  
minus bestiæ hæ iter suum conficerent.  
Visitatur adhuc edito montis iugo ultra  
Rhenum, dominij Basil. facillum eius,  
quò iuuencas istas ( si credere dignum)  
feretrum pertraxisse , fama scriptisque  
innovuit. De sepulchro eius Sebastianus  
Brant Argentinensis, stultiferæ nauis au-  
uthor, sic cecinit:

Posteaquam meritis plena est tua uita probatis  
Christianæ, ô Christi sponsa decora nimis:  
Huc uel ab extremis, socias comitata, Britannis,  
Te Basilæa rapit, nunc locus ille tenet,  
Ursula te portum Rheni subitura reliquit,  
Martyrium petiit sancta uirago suum.  
Hanc iaculo Gotthi manus impia morte peremit,  
Vulnere non tactam te pia fata uocant.  
Præripuit quia nam moribus te diua puella,  
Martyr es ergo animo, dignaq; laureola.  
Indomitæ iugum pro te subiere iuuencæ  
Ad montis donec te iuga pertulerant.  
Non locus alter erat tanta te uirgine dignus,  
Quam locus hic heremi, quam loca lecta tibi.  
Alta fuit sposo coniunctaq; mens tibi Christo:  
Alta igitur montis saxa sepulta tenes.

Virgi-

Virginiſ instar habes Arabum quam collis inūbrat

Monte ſuper Synai, quæ Katharina cubat.

Quam nec Alexandri dignum feruarier urbe:

Sic neq; digna quidem te Basilea fuit.

Scilicet aſſimilem Deus ex hoc uirginatatem

Indicio monſtrans, illius atq; tuam,

Vtraq; ſed mensam, thalamos uel adire Deorum

O ſecura nimis, o nimiumq; potens.

Millia que comitum fuerant undena tuarum,

Iam tibi colludunt gramine in Elyſeo,

More puellarum, legitisq; hyacinthina ſerta,

Cumq; croco, nardum, liliaq; & uiolas,

Iam pater Omnipotens necltar tibi dulce minifrat,

Et ſimul Apibroſiam, grata alimenta Deum.

Iamq; Agnum comitaris cum quem candida uel

Palla, ſuo ſparsa ſanguine purpureo.

Vt uitæ fueras, ſic nominis emula Christi

Sic quoq; cum ſponſo, ſponsa beata cubas, &c.

Si ergo diui Pantali episcopalis cura in

230 annum incidit, patet piorum homi-

nūm cœtus, Christum ſyncerè colentiū,

gentiumq; dæmonia abominantium, in

hiſce partibus, quemadmodum & alijs,

extitiffe, dum Romani hiſce terris impe-

ritarent, uigeretque publicè gentilismi

Idololatria. Sed cùm id ambiguum, ad

certiora tranſeamus.

Conſtar

**Iustinianus & Adelphius certi Episcopi.** Constat ex synodalibus actis, salutis anno 347, apud Rauracos Episcopalem dignitatē extitisse. Iustinianū enim Rauracensium Episcopū, eo anno Coloniae conuentui multorum Episcoporū, contra Euphratem eius urbis Episcopū Christi diuinitatem impugnātem, interfuisse, & Arriani huius doctoris condemnationi piè subscripsisse, legitur. Ex ijsdē patet, Adelphium Rauracensium episcopū, primæ Synodo, quam Franci post suscepit Christianæ religionis professionē Anno 514 Aurelijs celebrarūt, interfuisse, atque alteri postea sub Childeberto rege anno 537 ibidem coactæ, Asclepiū presbyterum, Adelphij Rauracorum Episcopi uicarium, calcūlum suum adieciisse.

**Catalögi interrupti causæ.** Quod autem Iustiniano ad Adelphium, & ab hoc ad Vualanum usque ducentis penè annis, successionis facta est interruptio, eueniisse arbitror, uel ob Episcopalis officij in his ecclesiæ crepidijs, contemptum, quo nomina eorum (si qui interea fuerunt) temporum iniuria penitus sint abolita, præsertim inter tot barbararū gentium incursiones, migra-

grationes, regnorum mutationes, uariasque orbis per ea secula calamitates. Vel ob Romanorum tyrannorum imma-  
nes Christianorū perseguitiones, qui-  
bus piorum cōetus sāpe dissipati, quiq;  
se pro pastoribus gererent, latitare coa-  
cti fuerint, tantū abest ut ipsi scepta  
tenuerint: pr̄sertim Decio, Aureliano,  
Diocletiano, Maximiano, similibusque  
sceptra tenentibus, sub quorū imperio,  
posteriorum pr̄cipue, Gallicæ atq; Rhe-  
nensis tractus ecclesiæ, extremam sœui-  
tiā expertæ sunt. Quinetiam Ritioua-  
ri cuiusdam pr̄fecti Galliæ mandato,  
Christianorum multos Basileæ in Rhe-  
num demersos esse scribitur, inter quos  
Iustinus martyr, nouennis puer fuerit.

Postquam uero Franci, fractis in Gal-  
lia Romanorum uiribus, atq; in his par-  
tibus Alemannis sub iugum actis, Clo-  
douei regis auspicijs, in Christi castra  
cōcessere, quod anno 514 communi scri-  
ptorum suffragio accidit: tum demum  
Halcyonia minimè momentanea ecclē-  
sijs data sunt, ut mirum uideri possit, cur  
ab eo tempore de nostrorum Episcopo-  
rum successione annales nihil prodide-  
rint,

Iustinus  
martyr Ba-  
sil.

xint, cum interim & Argentoratenses, &  
Constantienses, aliquae suos non reti-  
cuerint.

## C A P V T VII.

*Primi Basilienses Episcopi. A' Francorum & Gera-  
manorum monarchis ditati, Valentiniani Robur.*

*Basilica maior condita, restaurata,  
dotata.*

Vualanus  
primus Ba-  
sil. Episco-

pus.

**Q**ui se primum Basiliensem Epi-  
scopū dici uoluit, Vualanus fuit,  
ortu patriaq; ignotus, circa salu-  
ris Rauracorum uetus nomen obsole-  
rit, ac priscae Rauricæ interitu in de-  
suetudinem uulgi abierit, terris recentia  
pagorum nomina, ab incolis Aleman-  
nis, obtinentibus: Basilea autem mœni-  
bus cincta, iustæ ciuitatis formâ habue-  
rit, cui territorium adiacens, post suba-  
ctos Alemannos à Francorum regibus  
(quas multas terras ecclesijs donasse no-  
rum est) additum.

Haito seu  
Otho epi-  
scopus.

Sanè Hethonem seu Othonem mo-  
nachum primū Augiensem, dein Basi-  
liensium Præfulem, apud Carolum Ma-  
gnum summum atq; pium Orbis occi-  
dui

dui Monarcham, circa annum 810, illu-  
stri authoritatis gradu constitutum, Im-  
peratorisque consilijs adhibitum fuisse,  
ex Contracti, Auentini, aliorumq; scri-  
ptis patet. Testatur idem legationis mu-  
nus, quo Imp. nomine, unà cum Hugo-  
ne Turonum Comite ad Orientis Impe-  
ratorem, Constantinopoli functus est,  
vindicta item Aquisgranensis, Græco-  
rum Oratoribus persoluta, ed quod  
prædicti Principes legati eius indignius  
ab ijs tractati dimissiq; fuisset, ut alibi re-  
ferendum. Autores equidem historiæ  
Ecclesiasticæ, Centuria octaua, Carolum  
Basilensem & Vuormatiensem episco-  
patus, anno 803 institutis, ex Saxoniq;  
Chronico, ut uidetur, referunt. Quod si  
uerum sit, de terrarum donationibus,  
quas Episcopi antiquo suo sub imperio  
tenuerunt, intelligendum esse, nemo no-  
intelligit. Multas enim eum ecclesias,  
scholas, cœnobiaq; crexisse, constructas  
locupletasse, atq; amplè dotasse, non est  
ut congestis authorum testimonijs con-  
firmare nitar. Ita enim pij illi reges atq;  
principes ecclesijs sese munificos decla-  
rârunt, ut religioni uacantes cōquiren-  
di

Caroli Ma-  
gnae pietas  
in promo-  
uenda reli-  
gione.

di uictus labore, domesticaq; sollicitudine leuarent, utq; eos ex paupere conditione in aliquem authoritatis gradū proueherent, quò minus à plebe, cui doctrina præesse debebant, spernerentur, nec eorum neglectus, religionis etiam cōtempum pareret. Pio haud dubiè insti-  
tuto, si modò Episcopi, ecclesiarumque præsides intra limites sese cōtinuissent, nec relicto præcipuo pastorali munere, secularibus sese negotijs nimiū im-  
plicuissent.

**E**piscopi  
Basilensiū  
Domini.

Cæterū primos Episcopos Basil. urbis legitimos fuisse dominos, præter insignia eius, pastorale pedum repreſen-  
tantia, alijs etiā suæ ditionis oppidis data, constituendorum magistratum, iudicandi, de appellationib. cognoscendi, iuramentum adelitatis exigendi, te-  
lonia leuandi, aurum argentumque cu-  
dendi iura, aliaq; regalia satis indicant,  
quæ temporum successu ab ijs uendita,  
bellicis impensis consumpta, uarijs con-  
tractibus & transfactionibus alienata, in-  
ciuum manus peruenere.

Existimo igitur eo primū tempore  
Rauracens Episcopos Basiliensiū no-  
men

men assumpisse, cum locus ciuitatis formam accepisset, Basilica maiore construta, & à Francicis regibus, siue ex Merovei propagine descendantibus, siue Carolo Magno adeò locupletata. Eadem tamen in ipsis quasi cunabulis luctuosissimo damno affecta est, afflictissimo Germaniae seculo, nongentesimum sequente, quo Hungari denuò multis regionibus immani rabie uastatis, Basileam quoq; inuaserūt, incenderunt & tantum non deleuerunt.

Non igitur certò constat, quando Basilica maior, diuæ Virgini dicata, primùm condita sit. Credibile tamen est, eam quo nūc loco conspicitur, tum demum erectam, quando Castrum, quod à Valentiniano illic edito in loco ad Rheum conditum, siue à primis, siue posterioribus Hunnis, aliaue temporum iniuria, destructum fuerit. Hoc enim loco Robur illud (referente Marcellino) contra Alemannos ædificatū esse, mihi persuadeo. Basileam enim tum temporis Valentinia ni Robur eum occupasse tractum, fontium scatēbris irriguum, supra creditu non indignum feci, qui in conualli iuxta Birsicū summi tem pli locum tenuit.

Basileam  
censa, An.  
no 917.

torrentem, à salina turri uersus inferiores Spalas atque ultra protenditur. Propinquum igitur castrum hoc Basilię fuit, quod ab accolis, id est, Basiliensibus, Robur dictum fuisse testatur. Quò & hodie na appellatio non abludit, qua Cathedralis ecclesiæ aream, Germanico idemate, Auff Burg nuncupant. Episcopalia similiter diplomata præ manibus sunt, quibus idem locus in Castro nuncupatur. Evidem Petrus Basil. episcopus cōstitutionibus suis, synodo, anno 1297, hebdomade post Martini festum celebrata, confectis, pro consetuanda libertatis ecclesiastice immunitate, uerat, ne intra terminos castri siue atrij ecclesiæ Basili. alicui Canonicorum uis fiat. Castri autem talēm determinationem assignat: A' porta Rodolphi Craftonis Canonici usq; ad curiā præbendale Bertoldi de VVessenberg in longitudine, & ab hac in latitudinem usq; ad curiam præbendalem lo. de Diesen ab una parte. In alia uero parte à curia D. R. Craftoni usq; ad extremitatē curiæ præbendalis D. de Gundolghen. Quinetiam superiore anno cum domus illic Cantori quondam designata, ædificio sumptuoso de nouo construeretur, cella q;

Cellaq; uinaria effoderetur, numismata aliquot ænea Impp. Romanorum imagi-  
nibus signata, illic reperta uidí, qualia a-  
pud Augustenfes Rauricos colliguuntur,  
quæ significationem aliquam priscæ ha-  
bitationis, quarum occasione hi nummi  
in terram defluxerint, dare potuerūt:

Templi tamen huius primarij struc-  
ram, siue per se ruinosam, siue terræmo- Imp. Henr.  
tibus concussam, aut Rheni eluuione pē ~~cus~~ Basili.  
riclitantem, Diuus Henricus Bauarus Basilicam  
Imp. qui & Papebergensem ecclesiam instaurauit,  
fundauit, aliasq; multas ornauit & au-  
xit, Anno 1010, passibus aliquot à flumi-  
ne remouens, nouo opere instaurauit,  
binis turribus conspicuam fecit atque  
ditauit. Eadegm nono deinceps anno, ab  
Adalberone Episcopo Basiliensi ii Octo-  
bris initiata, solenniq; ritu dedicata est,  
præsente Imperatore cum principibus  
aliquot, Episcopisq; uicinioribus. Ade-  
rat Poppo Treuirensis Pontifex, Varna-  
rius Argentoratensis, Rodoardus Con-  
stantiensis, Hugo Geneuensis, & alter  
Laufannensis, episcopi, aliusq; præterea,  
Cæsarei facelli antistes. Remotionis  
atq; instauracionis eius uestigium, semita

esse potuit, quæ auorum adhuc memoria secundum ripam Rheni ad Santalbanum usque duxit, atque molaribus asinis farinæ sarcinas gestantibus, iter prebuit: Lapidea insuper mensa in Cathedralis templi uireto, quam principis arę loco erectam fuisse, seniores Canonici retulerunt.

Cæterum quoniam Ecclesiæ erigentes atque fundantes, easdem muneribus atq; redditibus, pro religionis exercitio illic alendo, dotare, soliti erant:

**Castræ Pfef Imperator** hac renouatione, duo ei profungi & Lan pinqua castra contulit, Pfessingenle nideschr eccl. mirū, & quod ob ornatu regionis, Lan-clesia Basil. defere dicitur, quorum hoc Comitibus donantur. primū Phirretēsibus in feudum datū, defunctis ijs ad Austricæ principes peruenit: illud autem Tiersteiniorum comitum feudum, ijs sine legitimo hærede decedentibus, ad episcopum redijt, anno 1519.

Inter ornamenta huic Ecclesiæ collata, tabula fuit aræ principi imposta, auro Hungarico inducta, pretij 7000 florenorum, qua in sacrario suo Aug. ipse usus fuerat, unde & diuos eos, quos præcipue

Ornamen-  
ta ab Imp.  
donata,

cipuè coluit, efformatos habet, nempe  
præter Archangelos quatuor, D. Bene-  
dictū, inq; eorum medio Saluatoris effi-  
giem, cuius pedibus ipse cum Cunigu-  
da cōiuge genibus flexis aduolutus cer-  
nitur. Hinc inscriptio illa ad ingressum  
Bibliothecæ:

*O' Henrice nobilis,  
Clero ualde utilis,  
Corde semper humilis:  
Ecclesiam fundasti,  
Auream tu Tabulam  
Deuotè obtulisti,  
Dotans hanc ecclesiam  
Mirè erexisti, &c.*

Insuper Basilicæ huic pretiosissimam  
Crucem inferri curauit, cui particula e-  
ius ligni, in quo Salus mūdi pependit,  
in esse dicebatur, aliæq; diuorū reliquiæ,  
breuitatis causa omisæ. Accedit huc o-  
mnis ornatus Cælareus, corona argen-  
tea inaurata affabré confecta, paludamē-  
tum, thronusq;, quorū illud, anno 1529,  
cum post reformatam ecclesiam lanea,  
lineaq; suppellex omnis auctionaria ué-  
ditione distraheretur, à Sebastiano Sin-  
gelero Medico, Marchioni Badensi em-

Nol<sup>x</sup> dux  
Imperato-  
ria & Ponti  
ficalis.

ptum fuit: corona multò ante ab Episco-  
pis in rem numariam conuersa. Nolam  
præterea ex maioribus alteram fieri fe-  
cit, quæ à donatione eius, ut Henriciana  
appellaretur, in hūc usq; diem inualuit.  
Maiorē alterā posteriorib. seculis, tépo-  
re generalis Concilij, Felix V, prius Ame-  
deus Sabaudiæ dux appellatus, cum à  
patribus Christiani orbis, Basileę pro re-  
formanda ecclesia congregatis, contra  
Eugenium 4 contumaciæ damnatum,  
electus & inaugurate esset, alteri turri  
dono inferri uoluit. Illa postremò scissu-  
ra accepta, anno 1565 refecta & in pristi-  
num Georgianæ turris locum suspensa  
est: Papalis uero anno 1441, mense Se-  
ptembri primum fusa, inde uero anno  
1493, Lucæ profecto sub Theodori no-  
mine instaurata fuit, cui Sebastianus Ti-  
tio I.C. hos uersus infundi curauit:

Tempore Concilij Felix dedit, improba fregit  
Pulsantum manus, instaurat pia Fabrica fracta.

## C A P V T VIII.

*Maiorit templi monumenta. Reginæ Romanorum,*

*Episcoporum,magnatum,doctrina & di-*  
*gnitatem excellentium uiro-*

*rum.*

**I**ntra ea quæ templo hoc spectandæ sunt, occurrit primum in adyto, tu-  
 mulo eleuato, Annæ reginæ Roma-  
 norū, Bernardi Comitis Hohenbergen-  
 sis Sueviæ filiæ, coniugis quondam Ro-  
 dolphi Habsburgij Cælaris, monumen-  
 tum, cui ipsa, anno 1281 humanis erepta,  
 unâ cum Carolo filio in infantia mor-  
 tuo, illata est. Hæc nobilissimorum Au-  
 striæ Principum genitrix fuit, unde &  
 præcipuarum per Germaniam domorū  
 propagines ortæ. Ex ea enim Albertus  
 & Rodolphus filij nati, quorum unus  
 Austriæ ducarum cum adiunctis regio-  
 nibus, alter Sueviam à patre obtinuit.  
 Hinc & filiæ tot Electoribus principi-  
 busq; nuptæ. Ex Agneta enim Othonis  
 Burgundiæ ducis filia, quam idem Cæ-  
 sar triennio pòst duxerat, nuptiasq; re-  
 gali solennitate Basileæ celebrárat, nul-  
 los suscepit liberos. Tumba hæc an-

Anna regi-  
na Roma-  
norum.

no 1510 à Canonicis aperta, fauillaceum  
Reginæ corpus exhibuit, iuxtaq; illud  
minutorū oſſium congeriem, pueri de-  
functi reliquias. Argentea corona auro  
inducta caput eius redimitum inuen-  
re, quam in Hieronymi Brylingeri facel-  
lani & Aſſisij (ut uocant) chori ædibus,  
repurgarunt, monile item cum sapphiro  
pretiosisq; lapillis à collo pendulum.

Quanquam autem Hartmannū quo-  
que, alium Rodolphi regis filium, qui cir-  
ca natalem Domini eodem anno, qui &  
matri prius fatalis fuerat, apud traiectū  
Confluentiæ Helueticæ, Rheni undis  
naufragio passo perierat, ibidē sepultū  
esse feraſt: de nonumero tamen eius ho-  
die nū extat. Nec mirum, cūm templum  
hoc cum alijs ædificijs grandi terræmo-  
tu adeò concussum labefactarumq; fue-  
rit, ut magna ex parte procubuerit.

Accidit ista calamitas 15 Kal. Nouem-  
bris, anno 1356, quo die lugubri urbs to-  
ta horrendis terræmotibus ita concussa  
est, ut sub horam nonā pomeridianam,  
inter tristissimos hominum eiulatus at-  
que clamores, plæraq; tā publica, quām  
priuata ædificia, terribili fragore cōcide-  
rint,

Basilea ter-  
remotu cō-  
cidit,

rint, inestimabili clade ciuib⁹ eorumq; fortunis illata. Planctus hos acerbissimos aliquot dierum incendium, ex insopitis dirutarum ædium ignibus obortū, auxit, quo residua flammis consumpta perierunt, hominibus præ metu sub diagentibus. Fuit ista concussio adeò uehemens, ut in citeriore Rheni parte, castra sexaginta circiter disiecerit, ut oppida uillasq; taceam. Luctuosum id iræ diuinæ exemplū, Monachus quidam temporis eius cœnobij móris Tigurini, rhythmis hisce complexus est.

M. L & tria C numerantur, postea sexq;  
Fit Terræmotus immensus & undiq; nouis,  
Dat Lucae festū timorē et memore undiq; mœstū,  
Templorum muri scinduntur enim ruituri.  
Castra, domos, muros, deiecit ad infima duros  
Tanquam sitq; ea destrūta iam Basilea.

Instaurandæ postea urbis causa, publico decreto omnium ædium census, siue ad monasteria siue priuatos homines spectarent, ad semissem diminuti fuerūt, ut possessoribus damnum tolerabilius foret, noui denariorū census nuncupati.

Cathedrale uero templum magna ex parte prostratum, Johannes Senno Ep-

E 5 scopus

Scopus Basiliensis instaurauit, unde totius Episcopatus fortalitionumq; reformator Augustus dici meruit. Idem etia 7 Kal. Iulij, Anno 1363 lustricis ceremonijs cōsecrauit, prēsente Petro Lusignano, Cypri rege, qui ad Iohannē Galliarum regem profectus, eumq; ad suscipiendam sacram expeditionem, uoto ante nuncupatam, inducturus, solennitatem istam exornauerat. Turres deinceps lentè admodum reædificatae & in apices perductæ sunt, ita ut quæ Austrū spectat, & à diuo Martino nomē habet, circa annum 1490 demum absoluta sit. Architectis duobus ad Georgianam turrim interius, supra Magistratus cathedralm eminenti loco, talis Epigraphe facta legi potest,

AVIA COELESTI, LAPIDES

VIVI, TITVLANTVR

HI DVO, TEMPLI HVIVS QVIA

STRVCTVRÆ FAMVLANTVR

Per inferiorem templi aream Principum Basiliensium monumenta, Epitaphijs insignita occurunt. Henrici Nouocomensis Episco-

pus, contra quem Rudolphus Cæsar, prius quam ad Imperij fastigium euectus fuisset,

ser, diuturnum bellum gessit, adeò ut urbem Basil. exilibus Stelliferæ factionis frigidam suffudentibus, bis obsederit. Cum autem posteriore oppugnatione ualido cōtrā eā exercitu castra metatus esset: Henrico Noricorum Burggrauio internuncio, ab Electoribus insperatō ad Imperium uocatus est. Historiam Albertus Argentinensis consignauit. Obiit Episcopus parta pace, 17 Kal. Octobris, anno 1274. In Mariano sacrario, Petri Rī chensteiani: intra Monachorum facelium ad turrim, Gerhardi VVippingenses: ad dextram pergulæ columam, Iohannis Sennonis de Münsingen, ubi diui Himmerij ara ab ipso fundata quondam stetit, ac pone hunc Iohannis de Veningen epitaphia uisuntur. Ad Boreum murum funerati sunt, Johannes de Fleckenstein, Fridericus de Rheno & Arnodus Rotbergius. Reliquorum enim hic tumularum sepulchrales inscriptio-  
nis aut nullæ, aut temporum successio-  
ne abolitæ. Cum uero Epitaphia dicta  
præter tempus excessus cuiuslibet, nihil  
in se contineant: sequenti præsulum Ca-  
talogo ista inferenda esse duxi, cætera  
in

in historijs persequuturus. Soli Arnoldo Poetaster quidam Epicedion tale posuit.

Laudibus eternum Praeful celebrandus in æuum  
Arnoldus iacet hic, quæ stirps clarissima Rotberg  
Edidit, & clara uexit ad æthera uirtus.

Lux Praefulum alma, decens & regula Cleri:  
Canonum eximius floruit & ipse Doctor.

Arduum impenderat paci ubicunq; laborem,  
Et fidus patriæ semper zelator erat.

Cunctis, pius animo, ceu alter amore parens.

Fato raptus lugubri annis florentibus Heros,  
Obiit, & totam repleuit lacrymis urbem.

Anno Domini M CCCC LVIII,

die 7 mensis Maij.

Non procul hinc, in eodem latere dextro, Archiepiscopi Mediolanensis cuius nomen obliteratum, Ogerij item de Rofeto, Mauriensio Episcopi ex Allobrogibus, monumenta sunt, quorum uterq; durante generali Synodo humanis exceptus est, ille quidem anno 1433, hic uero tertio Idus Ianuarij, anno 1441.

In Nouocomensi facello Thuringus de Ramstein, Prepositus eius ecclesie, ad erectam ei statuam humatus est, anno 1367 cum Canonicis collegis sex, pestilenta

lentia extinctus. Frater hic fuit N. de Rā- Ramsteinio  
stein, Liliomontij domini, baronis, qui rum baro-  
ex Agnete marchionissa Hochburgensi, num pros-  
Thuringum sustulit, anno 1390 floren- genies.  
tem. Atque hic ex Adeleide Nouoca-  
strensi comitissa Rudolphum genuit, qui  
demum ex Ursula baronissa Geroltse-  
ckia, filias quidem aliquot procreauit,  
quarum una Thomæ baroni Falcostei-  
nio elocata fuit: Anna uero altera ton-  
sa in cœnobio Lapidum Basileæ uitam  
finiuit. Filio legitimo caruit, atque ideo  
ipso quarto Nonas Octobris, anno 1459  
decedente, nobilissima hæc stirps defe-  
cit. Cadauer eius eodem loco prope ma-  
iorem patrum terræ mandatum est. Fi-  
lio naturali Io. Bernhardo à Gilgenberg  
equiti aurato, Episcopi consensu, arces  
Gilgenberg & Landscron reliquit, ca-  
strū uero Zwingen ad Episcopatū rediit.

Supra hūc Rodolphi Tiersteinij Co-  
mitis, ecclesiæ Basil. Palatini bustum est, Rudolphus  
anno 1318 defuncti, de quorum stirpe hi- a Tierstein.  
storiæ plura dabunt.

In facello Galli, Doctoris Georgij  
Andlouij uiri nobilis, præpositi Basil. &  
Lutembacensis apud superiores Alsatas,  
do-

doctrina, prudentia & grauitate quondam conspicui, monumentum superest. Hie primus Gymnasij Basiliensis, à Pio 2 Pontifice, anno 1459 priuilegijs donati, Rector, per Iohannem e Venigenium nobilitate, Academię tum Cellarium, communi fauore, designatus fuit, Prid. nonas Aprileis, anni sequentis. Quo munere in instituenda Schola laudabiliter administrato, annorum satur fato functus est, Epitaphium tale nactus.

Hic iacet insignis, uirtute insignior omni,  
Georgius de Andlo, nobilis uir sanguine clarus,  
Prælatorum decus, cunctis gratissimus unus.  
Fulserat hoc templo pariter & in Lutembaco  
Egregius ambarū Præpositus ecclesiarum.  
Atq; in hac primus floruit dignissimus urbe  
Studij Rector alii, nunc sine nomine puluis.  
Sic spes, sic gaudium, sic transit gloria mundi.  
Omnibus stat breue & irreparabile tempus.  
Obiit postquam in hac Ecclesia annis 50 floruisse, die 7 mensis Martij, Anno Domini 1466,  
cuius anima æterna pace  
fruatur.

Præterijssem penè in Crypta tumulos, inter quos Hencicum à Benheim  
de-

decretorum Licentiarum reperio, qui  
à Io. Fleckésteinio episcopo Anno 1428  
Basileam uocatus, Officialis munus ali-  
quandiu sustinuit, inq; celebri Concilio  
illuc celebrato, quadriennio pòst, Promoto-  
ris munus (sic enim Cognitores publī  
cos appellabant) obiit. Apparuit in eo  
præter doctrinam eiusmodi rerum agen-  
darum dexteritas, ut anno 1439 (resigna-  
ta antè Iudicis functione) à Ludouico  
Cardinale Arelatensi, synodi præsiden-  
te, patrum suffragio electi, in Teutonicæ  
domus aula maiore, Doctor reiancia-  
tus sit. Bibliothecam maioris templi  
quondam non malè instauratam, magno  
librorū numero auxit. Vitam cum mor-  
te mutauit. 15 Kal. Maij, Anno 1460.

*Si ulla rapidam uinceret scientia mortem,  
Sagax consilium, facundæ disertio linguae:  
Nō hic humatus de Beinheimi Henrice iaceret,  
Doctorum decus, Canonum celeberrime cultor.  
Spes diuitum eras, pauperum certissima salutæ.  
Labore indefessus cunctorum cōmoda parans,  
Tum pijs et magnam tuleras animabus openi,  
Fundāras celebres defunctis canere Missas,  
Hoc altari sacro, Doctor memorabilis semper.  
Quæ requiem parent quæso perennem tibi.*

Ex

Petrus zum Ex aduetso, Petri zum lufft, Decani  
lufft decre- primū Sanctopetrini, Canonici postea  
torum Do primarij Collegij, atq; sub auspicijs Aca  
stor. demicis, Iuridicæ facultatis primi Decu  
rionis, inscriptio est. Fuit is honesta Ba  
sileæ familia ortus, à Specularij uici do  
mo denominata, Rodolphi filius, nepos  
autem Ulrici, qui in Republica Basiliensi  
circa annum 1377 innotuit, à cuius artifi  
cio, Ephippia tria rubeo distincta septo,  
insigniū loco ijs fuerunt. Eiusdem ne  
pos & alter fuit, auo ~~duorum~~, qui sub ini  
tium belli Burgundici, anno 1474, mili  
tum Basiliensium primipilus fuit, contra  
Burgundionū in Suntgouiam irruptio  
nes, unā cum magni fœderis socijs Tat  
toriedij custodias agentium. Atq; idem  
annus fratrem, Doctorem præfatum, ad  
12 Kal. Decembris sustulit, Carthusiano  
rum eremum ædicula auxit, multisque  
donationibus suum in amplianda reli  
gione (qualem ea ferebat ætas) stu  
dium, declarauit. Epita  
phium sic est:

D. O.

## D. O. M. S.

DN. PETRO ZVM LVFT, PONT. iuris  
Doctori, Basiliensiq; Canonico, doctrinæ & in-  
tegritate uitæ insigni, qui inter cætera pietatis o-  
pera, pro piorum manum salute, quatuor Mis-  
sas in hac beatiss. Mariae ara perpetuò singula-  
rissimæ hebdomada cantari instituit: ARNOL-  
DVS ZVM LVFT Doctor, patruo suo pien-  
tiss. ac de se benè merenti, posuit.

Arnoldus uero hic, ante consequutum  
Doctoris titulu, permutatione quadam Arnoldus.  
cum Iohanne de Refe, Coloniam seces- zum Lust.  
suro, apud Cathedrale collegium, anno  
ipsius patruo fatali, obtinerat, impetra-  
ta Sixti Pontificis ratificatione. Quod  
ut Canonici irritum facere possent, com-  
muni consilio sanxerunt, ne quisquam  
ciuum Basiliensium, dignus indignus-  
ue in consortium eorum cooptaretur,  
admittereturq; nec cuiquam facellano-  
rum ulla tribuum societate uti liceret;  
uerentes ne forte ad aliquem authorita-  
tis gradum euecti, patrię amplius quam  
par uideretur, permitterent. Quę res in-  
ter clerum atq; Senatum non parum si-  
mul-

F mul-

multatis excitauit, ciuibus id sibi ignominiosum ducentibus, effecitq; ut in ecclesiastica etiam ditione contra Burgundi ferocitatem tutanda, difficiliores es- sent. Sed & Arnoldo sacerdotium istud magno labore sumptuq; stetit, Canonici aliquandiu Pontificis pænale monitorium spernétabus, ut excommunicatio- nis sententia eos urgore necesse habuerit. Obiit anno supra sesquimillesimū, decimo septimo. Iulius uero Pótifex 2 ob res ab Heluetijs contra Gallos anno 1512 in Insubribus præclarè gestas, præter aureum Episcopalis pedi insigne Basiliensibus cœcessum (fusco enim in clypeis ante us- erant) statuto eō in ciuium fauorem abrogato, inter cætera priuilegia decreuit, ut qui ex eorum cætu eruditione uitęq; honestate Doctoris nomē legitime con sequutus esset, summorum primi tem- pli sacerdotiorum capax esse posset: Leonhardo Griebio bonarum artium Ma- gistro, Tribuno plebis, internicium & reli quorum etiam eiusdem legationis Hel- uetiorum, oratorem agente.

Ascendenti hoc è loco tūba oœcurririt,  
Hericu Rich, equitis torquati, uiri nobilis,

Iis, familiæq; apud Basilienses priscæ, quæ Richensteiniæ ppinquæ arcis nomine dedit: nō quidē ei, quā latrociniorsū causā Rodolphi Cæsarī mandato dirutā esse Hirsaugiensis meminit (id enim huic homonymum, non procul à Bächerach, inferioris Germaniæ oppido, castrū fuit) sed quæ prædicti terræmotus violentia concidit, & in hūc usq; diem deserta iacet. Egit hic ab anno 1286, Basiliensium consulem aliquoties, obiitq; anno 1403.

Non longè à cochlidio illuc, Io. Rodolfi Haluillij sepulchrum est, qui ætate grandis, cum se ob calculi in uesica phas de enati dolores, Lithotomij manibus com Halluili misisset, Chironij uulneris inclemens obiit, alioquin Christophori ab Uteneheim (qui senio confectus eodem mense Epilcopatum cum Nicolao Diesbachio coadiutore abdicauit) successor futurus, siquidem longior ei uita contigisset. Epitaphium eius tale est:

IO. RUDOLFVS DE HALLVIL, HV-  
IUS Ecclesiæ Canonicus & Custos, prælatorū Ca-  
nonicorumq; religione & integritate nullo infe-  
rior, Anno 1527, 12 Februarij, magno multorum  
dolore, feliciter debesit:

At ut in barbaro seculo in uiris hisce, alijsq; à me præteritis, quorum aliquor pietate, eloquentia, ac prudentia spectabilium cineres, basilica hæc continet, quales quantiq; fuissent, si in nostra incidunt secula, emicuit: ita & nostra èras, in qua non solùm puriores literæ, sed illibatæ etiam religionis cognitio refrounit, eiusmodi uirorum uberiore prouenitu non caruit.

Inter eos Erasmus Roterodamus eruditorum Germaniæ Phænix eminet, ad cuius sepulchrum in diuæ Virginis sacrario, marmorea tabula extat. Etsi enim is natione Batavus, ob præcellentem eruditionem, à summis Pórtificibus Cæsaribus, Regibus atque Principibus Christiani orbis expetitus, uocatus, humanissimeq; inuictus fuerit, ut Cardineo etiā honore perfrui potuisset: adeò tamen illi Basiliense cælum adlubuit, à Christophoro Vtenhemio Episcopo Bafiliensi doctissimo placidissimoq;, mirifice adamatus, ut nuspian maiore cum uoluptate uersari uideretur. Ei Iohannes Frobenius typographus celeberrimus hospitium gratum præbuit, cuius etiam

etiam officina, ob Ecclesiasticorum politiorumq; utriusq; linguæ scriptorum recognitiones, emendatasq; editiones, inter Germaniæ præcipuas meritò numerata fuit. Grata fuit eius præsentia ipsi quoq; Magistratui, qui religionis disceptationibus ingrauescentibus, ipsius consilio aliquoties usus est. Cum autem anno 1529, Basiliensis populus armata manu iconibus uim intulisset, imaginibus per omnia fana deturbatis, eiecit atq; combustis, isq; debellandi modus ei non placeret (ferunt enim cum diçere solitum, Lutheranos bonam comœdiā malè agere) atq; nonnulli amicorum suorum secessissent: statuit & ipse (quanquam tum compositis rebus metus nullus urgeret) Friburgum Brisgoiæ commigrare, quod sese & Henricus Glareanus, D. Ludouicus Berus, Collegium Basilicæ maioris, religiosiq; multi ante contulerant, quo modo & ciuium nonnulli non infimæ notæ, patriam potius quam religionem à maioribus acceptā, deserere maluerāt. Naui igitur unā cum D. Bonifacio Amerbachio alijsq; amicis, eum deducturis, consensa, cum à

56 EPITOME HISTORIAE

portu Neoburgum nauigaturus soluisset, hos illi iucundæ conuersationis recordatio, uersiculos expressit:

Iam Basilea uale, qua non urbs altera multis  
Annis exhibuit gratius hospitium.

Hinc præcor omnia lœta tibi, simul illud, Erasmo  
Hospes uti ne unquam tristior adueniat.

Verūm sexto post anno reuersus, cum apud antiquum hospitem integro penè mense dysenteria laborasset, diem tandem clausit supremum, de bonis suis ita testatus, ut ea amicis partim suis, parentim etiam pauperibus studiosis, honestis virginibus, alijsq; egenis subsidio non indignis euocanda, legārit. Hæres quis fuerit, quiq; postremæ voluntatis exequutores, marmori insculptum

Epitaphium docet, his  
uerbis:

CHRI-

CHRISTO SERVATORI S.

DES. ERASMO ROTERODAMO, VIRO  
omnibus modis maximo, cuius incomparabilem in  
omni disciplinarū genere eruditionem, pari con-  
iunctam prudentia, posteri & admirabuntur &  
prædicabunt: Bonifacius Amerbachius, Hieron.  
Frobenius, Nicolaus Episcopius, hæres, & nun-  
cupati supremæ suæ uoluntatis uindices, Patrono  
optimo, non memorie ( quam immortalem sibi  
ediuis lucubrationibus comparauit, ijs tanisper  
dum orbis terrarum stabit superfuero, ac erudi-  
tis ubiq; gentium colloquuturo) sed corporis mor-  
talis quo recorduu sit ergo, hoc saxum posuere.  
Mortuus est quarto eiusdem iulij iam Septuagenas-  
tus, Anno à Christo nato, M. D. XXXVI.

Saxo sepulchrali, hæc insunt.

Def. Eras. Roterodamum amici sub hoc saxe  
condebat, &c.

## C A P V T IX.

*Peristylorum monumenta. Clarorum uirorum  
Epitaphia. Summi templi uiridarium.  
Curia Episcopalis. Vtricis  
fanum.*

Ioánes Oe-  
colampá-  
dius.

**E**xtra Templum in maioris Cæmierij ambitu laudatissimorum aliquot uirorum inscriptiones sunt, una quidem Ioanni Oecolampadio dicata, quo organo apud Basilienses syncretoris Euangelij doctrina introducta atque plantata est. Fuerat is Vuinspergio Francorum oppido oriundus, anno supra sesquimillesimum decimoquinto Basileam uocatus, ut maioris templi Ecclesiastē ageret, ubi & sequenti anno Theologiae Doctor creatus fuit. Verum nondum ea temporis maturitas aduenerat, qua longa temporis præscriptione confirmatae superstitiones, detegendæ erant. Cum igitur ad concionandi munus ab Augustanis euocatus, locum mutaret, eiq; Augustinus Marius succederet: nihil minus uerisimile uidebatur, quam quod ipsius opera purior doctrina hic plantanda foret. Verum diuina

rem

rem gubernante prouidentia, uarijs iactatus casibus, alibi à me descriptis, Anno 1522, Basileam reuersus, & ab Andrea Cratádro exceptus, priuatim egit, Chrysostomi nonnulla in Latium transferés. Ut igitur Io. Frobenio, ob Erasmum bonarum literarum instauratorem, liberali hospitio complexum, singularis laus debetur: ita & Cratandri memoria, ob Oecolampadij doctoris nostri benefica humanitate suscepit, officium, grata uoce recolenda. Cæperat tum uarias ob causas, religionis nomine, quam Martinus Lutherus apud Saxones spargere non cessabat, admodum suspectus esse, ut qui alibi specimina ediderat, quid de ipso sperandum foret, quo circa pristinum Ecclesiastis munus ab iisdem nunquam accepturus erat amplius.

Accidit igitur occasio alia (facilè enim fata viam inueniunt) ut cum Martinus Zancher parochus Martinianus, ualeutinus causa muneri suo impar esset, Oecolampodium quem eruditiss. virum esse nouerat, ex umbratili uita, in lucem & theatrum quasi euocaret, consentientibus illius ecclesiæ curatoribus. Hac ille-

uocatione usus, pontificiam doctrinam  
de sacrificio Missæ, diu orum inuocatio-  
ne, uotis monasticis, alijsq; ritibus, pe-  
detentim impugnare, ~~θεατην~~ uari-  
as infringere, Christi sufficiens meritum  
ad salutem consequendam animis infi-  
gere, hinc & assensum plurimorum me-  
teri. Cum igitur illius opera religionis  
negotiū de die in diem magis illustrare  
tur, atque in alijs etiam templis symmi-  
stas aliquot consona docentes naestus  
esset: aduersæ autem partis homines in  
publici caetibus contrâ nouatores hos  
accerrimè debaccharentur, ijsq; haereses,  
seductionis: crimina impingerent,  
præsertim cum iam anno 1526 multa im-  
mutassent, nouamq; agendi in ecclesijs  
formam conscripsissent, nō sine magno  
populi applausu, qui ad illorum conci-  
ones frequens confluēbat: Magistratus  
tandem edictis aliquot, quibus utrique  
parti à conuitijs abstinentium, & nil nisi  
euerbo Dei hausta populo proponen-  
dum, mandabat, contentiosis hisce  
demegorijs remedium adferre cupiens,  
frustra multa tentārat. Pars enim utraq;  
ſuffragatoribus non carebat. Pontificijs  
clerus,

clerus, nobilitas, patricijq; fauebanr: cæteris uero plebis pars maxima, quæ ad propulsandam omnem uim, si quæ intentata fuisset, animos paratiissimos declarabat, offerentibus se se eorum doctrixibus, doctrinam quam profiterenrur, ubi cunq; & quandocunq; liceret, uerbo Dei stabiendi, alijs uero huius rei cognitionem ad generale Concilium rei- cientibus.

Cum autem nulla pax firma sanciri posset, quin periculum subeffet, ne res aliquando à uerbis ad uerbera perueniret, alijs alios nocturna quiete, uel alia occasione obruerent, manusq; suas conciuim cruento fædarent, uel publica aliqua calamitate ingruente, dissensio hæc urbem pessundaret: plebs tandem huius rei discussionem solidam impetrare nō valens, 5 Idus Februarij, Anno 1529, correptis armis pauculis horis litem diremit, ita quidem, ut ira in statuas & imagines omni conuersa, in nullius corpus atq; uitam durius quicquam statutū sit, non sine numinis præsidio. Historiam eam scitu dignissimam, maiori opere ad longum contexui. Post constitutam Ec-  
clesiam,

clesiam, cruentamq; religionis nomine  
inter Heluetios tragædiam: Oecolampadius magno urbis luctu, inter fratrum  
manus piè obdormiuit, 21 Nouembris,  
anno 1531, cui tanquam desideratissimo  
patri atq; pastori, Epicedion tale positū:

D. IOHANNES OECOLAMPADIVS, pro-  
fessione Theologus, trium linguarum peritissi-  
mus, author Euangelicæ doctrinæ in hac urbe  
primus, & templi huius uerus Episcopus, ut do-  
ctrina sic uitæ sanctimonia pollutissimus, sub  
breue saxum hoc reconditus, iacet.

Tricesimo tertio pòst anno, coniux e-  
ius Vuibrandis Rosenblat, eidem tumu-  
lo illata est, quæ ut ante Oecolampadiū  
Magistro Ludouico Cellario, ita post  
eum D. Vuolphango Capitoni & Mar-  
tino Bucero, omnibus uiris doctiss. atq;  
clarissimis, raro singularis fortunę exem-  
plo, nupserat. Lubet priusquam hinc ab-  
eam, in tanti uiri memoriam sequen-  
tia addere Epicedia.

Seb.

Seb. Munsteri.

במעלה חוצאה שוכב איש חשב בכוון וחכמת  
חסיר ולגיא לדבר ייחוד ומלבד ברעתה לא  
טהילים ואנשימים ותנו ביהת-לפורי ש  
שונטן בשם טוב ובחיים תפויים ונזכר  
מה בשנות עולם ח' אלפים ר' ז' ב' ביום ר'  
לוֹחָנָשׁ בְּסִילְיוֹן

Io. Rhellicani.

Μηδέ ἄριστος ἐπίπλε Θεοῦ, ὃς ἵσχος ἀλλωρ  
"Οὐλοι συμμυζῶν ἀματέρας γενεᾶς.  
Τόννομα προσῆκον τῷ πράγματι οἵνος ἔλογχοι,  
Οιολαμπάδιος γάρ τε καλέμη παλῶς.  
Οἶνος γάρ τε Θεοῦ μεγαλὸν πότε λάμπας θνάτο  
Η χριστοῦ ἀγορῆ λάμψε φαινότερον.  
Λάμπας ερημού μήρου πάντως ἢ φαύσιν ἀσυγκ,  
Οὐλοι σὺν ταῦτη βίβλαια γάρ τε μίνα  
Οἰς μίγα φῶς λάμψαντη ἐν τῷ οὐρανῷ ἐσομένοισι  
Βισέβεσιν μυγαῖς μενόμενοις διδαχῆς.

Anonymi.

Cecropijs quod ante Solon cordatus Athenis,  
Aut tibi bellipotens Sparta Lycurgus erat:  
Diuinis lubeat recte modò legibus uti,  
Oecolampadij hoc Basilea tibi.

Huius dextrum latus claudit Jacobus Meyer Con  
Meierus, Oecolampadij in Republica ful.  
fidus

Iacobus

## 98 EPITOME HISTORIAE

fidus Achates, post Henricum Meltingen-  
rum (qui religionis tumultu, inter crepi-  
tantes armorum nocturnos strepitus, na-  
tum fuga arrepta, urbe excesserat) ut po-  
te religionis patronus, æquiq; obleruan-  
tissimus, anno 1530, secundis clivis ania-  
mis, in Cōsulē lectus, eademq; dignitate  
sexies perfunctus est, anno 1541 peste ex-  
tinctus. Ei supra monumentum inscrip-  
tio talis publicè posita.

DĒO OPT. MAX. ET CHRISTŌ

Seruatori s.

D. IACOBVM MEIERV M HVIVS IN-  
dīcītē urbis Consulē prudēnīs consultissimūq;  
pietatis sanæ culōrem ac promotorēm prima-  
tiū, omnis honestatis, quod in ipso fuit, instau-  
ratorem diligentissimum, Lapis subiectus  
contegit.

Simon  
Gryneus.

A' sinistro latere memoria clarissimi  
uiri M. Simonis Grynei Veringensis, spe-  
ctatur, quem Oecolampadius, post dis-  
sipatam inter has mutationes Academi-  
am, pro instauranda ea, ad Græcas lite-  
ras docendas, Magistratus consensu Hei-  
delberga euocauit. In qua nō solū pfa-  
rias sed etiam sacras tanta laude docuit,

ut

at anno eodem peste sublatus, Epitaphium tale meruerit.

D. SIMONI GRYNAEO ALMAE HVIVS  
Academie Rectori, & laude & memoria sempiterna, ob linguarum Latinae, Graecae & Hebraeae peritiam, omnisq; Philosophiae ad miraculum usq; cognitionem, ob Theologiae ueræ scientiam & usum, digno, monumentum hoc dicatum est.

Sed & Sebastiani Munsteri doctorum illic uirorum cineribus illati, memoria non minùs celebris existit, tum ob linguae sancte Chaldaiceq; palingenesiam, illius industria promotam: tum uero ob Matheseos Geographiæq; studium illustratum. Hic anno ætatis decimoquarto ingenij causa Heidelbergam alegatus, studijsq; fideliter imbutus, biennio post ordinem Minoru de Obseruantia professus est. Conradi dein Pellicani eruditione in Hebraico idiomate (cuius cognitio tum rara & insolens erat) intellecta, summa instantia obtinuit, ut anno 1509 illius audiendi causa ad conuentum Rubeaquessem misteretur. Anno uero 1515 ad Tubingenses Franciscanos concedens Mathematicas artes, quas celebris

bris illic artifex Iohannes Stoflerus Ius-  
tingensis profitebatur, exactius capes-  
endi praeclaram occasionem nactus est:  
ubi & diligētia summa Magistrum eum  
ita sibi conciliauit, ut nihil illi negaret,  
quin omnia quę ingeniosè elaborasset,  
Munstero diligētissimo auditori trans-  
cribenda committeret. Quam illi in di-  
scipulum humanitatem diuina clemen-  
tia ita pensauit, ut omnibus libris instru-  
mentisq; eius igne fortuito consump-  
tis, nihil lucubrationum earum euaserit,  
nisi quę Munsterus conscripta sibi asser-  
uārat. Atq; hi principes illius præcepto-  
res fuere, quibus ad utriusq; professio-  
nis culmen ascendit.

Verūm hac eum eruditione Basileam  
illustraturū nondum uidebatur. Namq;  
paulò post Heidelbergam rediens, in pa-  
rochia castri electoris Ludouici, aulicū  
concionatorem egit. Ibi etiam Lexicon  
Chaldaicum concinnauit, ex Santis Pa-  
gnini Lucensis opere ante impresso, cu-  
jus exemplum Bonifacius Amerbachius,  
Auinione (Alciatum illic audiēs) Pel-  
licano, hic uerò Munstero dono mise-  
rat, unā cum Talmudico Dictionario,  
quem

quem Pellicanus mutuato exéplari ex  
Bibliotheca Ratisponensi fratrum Do-  
minicanorum, descripserat. Ex ijs non  
sine multo labore (prælecta priùs tota  
Syriaca interpretatione Onkeli, Ionathæ  
& aliorum) opus suum ita auxit, ut mul-  
tò illustrius quam Santis prodierit. Haç  
deniq; diligentia eò peruasit ingeniohí-  
simus homo, ut Grammaticam quoq;  
Chaldaicam primus annotárit, id quod  
Iudæorum quoq; Rabinorū nullus un-  
quam tentasse legitur. Illic quoq; in an-  
notádis Iudaicis abbreuiaturis, sine qui-  
bus Commentaria eorum intelligi ne-  
queunt, utilem operam nauauit, quarū  
nonnullas è Vuormatiensibus Iudeis di-  
cicerat, à quibus etiam Calendarium Iu-  
daicum cum interpretatione assequutus  
est, ab illo postea editum.

Basileam deinceps perueniens, Pelli-  
cano Minoritarum illic guardiano, in  
Hebraicæ literaturæ publica lectione  
successit, in Schola item Theologorum  
aliquandiu docuit. Quo quidem publi-  
co docendi munere, quantum ibi profe-  
cerit, multifarijs item sacris profanisq;  
lucubrationibus ad annum usque etatis

sexagesimum primū, quo anthracē cor-  
reptus, ascensionis Dominicæ festo ex-  
tinguitur est, rei literariæ contulerit, cùm  
eruditis ubique terrarum cognitum sit,  
longius persequi necesse non est, Epita-  
phio eius contentus.

**G**ERMANVS ESDRAS HEIC  
STRABOQ<sup>E</sup> CONDITVR.

SI FLVRA QVÆRIS, AVDIES.

**S**EB. MVNSTERV S IN GELH.

THEOLOGVS ET COSMOGR.

INTER PRIMOS SVMMV S,  
SOLENEM ASCENSIONIS MEM.

ANNO SAL. M. D. LII.

MAIOR SEXAG. MORTE PIA  
ILLVSTRAVIT.

**I**o. Opori- Proximum cubile Iohannes Opori-  
nus, ciuis & typographus clarissimus,  
tenet, qui uberrimæ Oporæ instar, & no-  
stri & prisei seculi scriptorum ingentem  
numerum, summa fide in publicum edi-  
dit, ac infinitis in hanc rem laboribus at-  
que impensis, nomen suum immortalati-  
tati consecravit, uniuersa Republica li-  
teraria sibi deuictissima, Maroniano  
hoc excessum eius prosequente,  
Semper honos nomenq<sup>;</sup> tuum laudesq<sup>;</sup> manebūt.  
Tu-

Tumulū uero, præter uaria doctorū ui  
torū Epicedia atq; elogia; quidā amico  
tū eius hisce uerbis ornare meditabatur;

OPEROSVS OPORINVS;

HEIC SITVS EST.

ERGO REQVIESCIT ARION?

DIXISSE PLVRA FAS NEFA sT,

AN. SAL. M. D. LXIIIX;

PR. EID: IVL:

ÆT. SVÆ LX.

Versus exterius ostium, Hieronymus  
Gemusæus Mulhusianus, Medicus &  
Philosophus recubat, uir haud uulgaris,  
qui ætatis 39, salutis uero 1544 anno diē  
clausit supremum, cui Polycarpi filij  
Chalco graphi elegatis excessu, tumulū  
quidā hisce metris recens insigniuit,

Filius atq; pater terra clauduntur eadem,

Heic, Dominiq; iubam, gaudia summa petunt;

Naturas rerum pater & Medicamina nouit,

Cognovit Pallas quicquid amare potest.

Ast alter libros pulchris comittere chartis;

Adfuetus studijs, magnus uerq; fuit.

Credidit ex animo semper solam esse salutem

Spemq; suam Christum, iustitiamq; meram.

Vnde utrumq; Deus magno dignatus honore,

vtrumq; ad superi transiit astra poli.

G 2 Viterius

Vlterius porrò , Anonymi cuiusdam  
tuba est, cui prætextati, librum manu ge-  
rentis, effigies insculpta , circa se breue  
quidem, sed elogijs plenum Distichon  
habēs, literatura multam antiquitatem  
redolente,in hunc modum:

*Hiciacet arte Pluto,Cato uita,Tullius ore,  
Vermes corpus alit,spiritus astra tenet.*

Quis hic fuerit, antiquarij nostri quesi-  
uere, Ezzelino parochiæ Leonardinæ  
fundatori id positū suspicati, nullis tamē  
certis indicijs cognouere. Retro tamen

**Vlricus ab Ietingen.** monumento non uulgari Vlricum ab Ie-  
tingen conditum esse, cōpertum habeo,  
quem Humbertus Episcopus, post exa-  
ctum bellū Austriacorum præsidum per  
Alsatiā, Ergouiam atque Brisgouiam  
prouincias contra Basilienses , anno  
1410 Tribunūm plebis designauerat,  
Gunthero Mareschalco equite consule  
Iecto. Quibus ciues nouo Magistratu in-  
troduc̄to, Iohannem Vuilerum mercato-  
rem, collegam adiunxerant, Argentiné-  
sem Rempublicā imitati, Officiorū Ma-  
gistrum nominantes, qui cum prioribus  
ab Episcopo creatis, pari passu ambula-  
ret. Qua id occasione factum, & paucis  
post

pòst annis Episcopo instàte abrogatum  
fit, in historijs referetur.

Vuileri huius natus fuit, alter in oppo-  
sito Peristilij ambulacro sepultus, paren-  
ti homonymus, decretorum Doctor, De-  
canus Ecclesiæ cathedralis, Epitaphio  
sub eo fornice posteritati commédatus,  
quem uel ipse, uel agnati eius insignium  
attestatione construxerant. Hic integri-  
tate, eruditione, rerumq; experientia,  
in eum authoritatis gradum perue-  
nit, ut uniuersalis Synodi tempore, è  
400 circiter sui ordinis Doctoribus arq;  
prælatis mitra carentibus, unus etiam  
fuerit, de Germanorum natione in nu-  
merum triginta duorum Pontificalium  
electorum cooptatus. Qua in re memo-  
ratu dignum, huic spectatæ dignitatis ui-  
ro, in Conclavi (quod in nobilium Pry-  
taneo, Muscæ domum hodie appellant,  
ubi & deputatio fidei celebrari solita fu-  
it, pro legendō nouo Pontifice, adorna-  
tum fuerant) cameris sorte distributis,  
primam atq; dignissimam cessisse, teste  
Aenea Syluio tum conclavis custode.  
Obiit hebdomada Bartholomeum se-  
quente, anno 1450.

Io. Vuile-  
rus Doctor.

Martinus  
Borhaus.

Prope hunc Theologus recenti seculo notus quiescit, Doctor Martinus Borhaus, ueteris fœderis professor ordinarius, lingue Hebraicæ, Syriacæ atque Chaldaicæ, excellenter peritus, grandilue, quæ anno 1564 circiter 7000 hominum Basileę sustulit, nulli nec etati, neque sexui parcens, ad superos euocatus. Qui et si uiuus professionis fide, suisq; in sacros libros editis commentaryibus multum profuerit, ne tam non semper profuisse videretur, omnem suam charitatem suppellectilem moriens Academiae legauit. Sepulchro eius haec inscripta leguntur.

חפטכריים יהירו כוזהך

חרסידע ומצדייסי חרביים

בכובביים לעולם רעד.

TRINO ET VNI S.  
MARTINO BORHAO STVTGARD.  
S. THEOL. PROFESS. EXIMIO,  
ET NUNQVAM INTERMORITVRIS  
IN OMNI LIT. GENERE LVCVB.  
CELEBERRIMO,

POSE

POST MVLTA ET VITÆ ET ERVR-

PRÆCLARA EXEMPLA,  
MORTE PLACIDISSIMA

HUMANIS EXEMPTO:

**ANNA SCHMIDIN VXOR III, MAR,**  
DESIDERATISS.

S. S. Q. R. MON. F. C.

MILITAVIT ANNIS LXV.

MISSIONEM OBΤINVIT

EPIDEMIAM.

ANNO SAL. M. D. LXIII

AD V. ID. OCTOBRI

Ελπις ηγετις μέγας καιρούς τομημένη ιαροφ.

Ουρανος σιθεοίς μοῦνος ινεγίη ερωτ.

Equidem quoties letalis illius anni, q  
uantā nobis plagam inflxit, memoria a-  
nimū subit, altè ingemiscere cogor,  
cūm præter ingentem hominū multitu-  
dinem, quam cæmiteria uix capere pote-  
rant, doctores ac pfessores sex, Ecclesiæ  
ministros quinq; Senatores uero trede-  
cim, non sine grauissimo totius urbis  
damno, è medio sustulerit.

Tua etiā mihi Philippe Bechi Medicę philippus  
facultatis cultor, recordatio iucunda est, Bechius,  
qui uę Apollineæ artis scientia usuq;, si

longiora tibi huius uitæ stamina fata nō uissent, maiorem laudem comparasse: ita & re Dialeticæ professionis fide dissentium commodis studuisse, tacentibus cæteris, ego auditor & discipulus facti debo. Mortalitati renunciauit, tertio Nonas Septemb. anno 1560, eo loco clausus ubi sequentes uersiculi legūtur.

*Hec mihi prætereat nemo monumenta Viator,*

*Non bene qui cineri uoce precetur huic.*

*Bechius hic Medica celeber cubat arte Philippus,*

*Qui decus urbis erat, totius atq; Scholæ.*

*Si foret superis quem ducere sedibus æquum,*

*Hic foret, ut miseris ferre ualeret opem.*

Io. Hospi-  
nianus.  
Seb. Lepu-  
sculus.

In felici horum confortio Io. Hospi-  
nianus Steinanus & Seb. Lepusculus nu-  
per quoq; uersari uoluerunt, quorum u-  
terque in Christi Opt. Max. uinea colen-  
da, iuuentuteq; informanda, sua laude  
non caruit, qui mihi ut præceptores iu-  
rè memorandi fuerunt. Epitaphium u-  
triusque subjcere placet, ne studio  
eos neglexisse ui-  
dear.

C. S.

## C. S.

JOHANNIS HOSPINIANI STEIN.

VIRI OPT. ATQ. DOCTISS.

QVI NON TAM IN GYMNASIO BASIL.  
PHILOSOPHIAE ARIST.

PROF. PERSPICAX:

QVA'M IN ECCLESIA DOCTRINA  
COELEST. PRÆCO SYNCERV'S.LVSTRIS SEX PROFVIT,  
TVMBA HÆC CINERES CONTINET.  
VITA LABOR FVIT, MORS REQVIS.  
FATO CONCESSIT SEXAG.

VII ID. IVNII.

ANNO SAL. M. D. LXXV.

## C. S.

SEBASTIANVS IACET HEIC

LEPVSCVLVS,

HVIUSCE TEMPLI MYSTES  
SACERRIMVS.LINGVÆQ. SANCTÆ PROF.  
CELEBERR.IACENT PIJ LEPORES ATQ.  
GRATIÆ.PRID. NONAS VIIBRIS  
AN. SAL. M. D. LXXVI  
ÆT. LXXV.

G 5 Ibi-

**Seb. Dop-** Ibidem uiri aliquot politica pruden-  
**pēsteinius.** tia & Reipublicæ benè administratę eau-  
sa memoria digni, humati sunt, Sebastianus scilicet Doppensteinius, qui post  
Vualdenburgēsem præfecturam s. p. q.  
Basilensis nomine multis annis lauda-  
biliter obitam, ab anno 1564 consula-  
tum ter gesit, Kalendis April. anno hu-  
ijs seculi septuagesimo decedens: An-  
dreas ite Cellarius Tribunus plebis, &c.

**Huldreichs**  
**Iselin.**

In eodem ambulacro, ubi Schecapuri-  
liorum quondam ara stetit, Huldrichi  
Iselij prope maiorum suorum cineres,  
ossa teguntur, Iuris interpretis grauissi-  
mi & religiosissimi, ab Alciato I.C. quó-  
dam Papiæ promoti, cuius morte, anno  
huius seculi sexagesimo quarto, admo-  
dum luctuoso atque mortali, Academia  
haud exiguo lumine atq; columine or-  
bata fuit, dignus cui ob pietatem, sapien-  
tiam, integratatemq; Nestoris anni con-  
tingissent. At is haudquaq; extinctus, sed  
in uiporum potius regionem trāslatus,  
sic suos assidua uoce affatur:

Cultor iustitiae sui seuerus,

Et ueræ Pietatis indagator.

Vitrumq; ad Superos conies sequutus,

Hoc

Hoc natos doceo & seros nepotes,  
Discant Iustitiae & Deo parere.

Gradus ibi Episcopales , Vunebaldi  
Heidelbeccij & Iodoci Cellarij Præsu-  
Jum Basiliensium Cancellariorum, locu-  
li, ultrò citroq; claudunt: quorum ille, Ioh-  
hanni de Veningen, periculoſo difficulti-  
que tempore, quo magni fœderis socij,  
contrà Carolum potentissimum Bur-  
gundionum Principem, bellum diutur-  
num & anceps gesserunt, bonam naua-  
uit operam, 6 Kalen. Ianuarij, anno 1483  
mortalium casibus exemptus : hic uero  
se tribus Episcopis inuicem succedenti-  
bus, Iohanni, Casparo atq; Christopho-  
ro, in eadem functione fidem ministrū  
probauit, qua demum abdicata, stadium  
non multò post peregit. Zacheo sane fi-  
lio eius non intermoritur laudi dan-  
dum, quod humanitatis studia liberalis  
stipendij institutione promouere uo-  
luerit.

Gradus quos retigi, quiq; exteriùs ab  
Borealem templi plagam, ad erectam co-  
lumnulam superlunt, priscae consuetu-  
dinis indicium habent. Horum enim lo-  
corum alter, dominica Ioh. Baptistæ fo-  
lēne

Vunebal-  
das Heidel-  
beck.  
Iodocas  
Keller,

Legendi  
Magistra-  
tus prisca  
ceremonia,

lennitatem proximè anteuerrente, aule  
is ornabatur, exterior quidē sereno, in-  
terior uero pluuioso aere. Supra hos E-  
piscopus pontificalibus amictus confi-  
dens, cleriq; primarijs stipatus, iura sua  
ciuibus per præcones publicos pridie  
eò uocatis, prælegi curabat, nouosq; Ma-  
gistratus electorum suffragio creatos, re-  
nunciabat, iuramento fidelitatis astrin-  
gebat. Actui huic Gymnasij quoq; proce-  
res aderant, quibus uiri politici priuile-  
gia eorum rata conseruatos, Præsulis  
authoritate promittebant. Nostra ætate  
more hoc antiquato, Senatui omnis &  
magistratum creandorum & fidei exi-  
gendi potesta relicta.

Sunt porrò quam plures alij ter-  
stri gremio illic redditi, *ἀνιπήσαφοι* qui-  
dem aliquot, quorum tamen in pa-  
triam merita ad imitandam eorum pie-  
tatem atque uirtutem posteros non  
tantum admonere, sed etiam excita-  
re debet. Inter eos succurrunt, O-  
*Oswaldus Myconius* Lucernas, qui post  
egregiam in iuuentute moderanda pa-  
triae suæ probatam operam, præco-  
onis Euangelici munere apud Tiguri-  
nos

*Oswaldus  
Myconius.*

nos suscep<sup>to</sup> recte<sup>q</sup>; curato, Ecclesiam  
Basil. annis uiginti uerbo ueritatis fide-  
liter pauit, à Doctoris Oecolampadij an-  
tecessoris sui uestigijs nullatenus defle-  
ctens: qui proin cursus sui benè peracti  
θραβεῖον, Idibus Octobris, anno 1552 inter  
superos tulit.

Possem huic Albanum Torinum Vit<sup>b</sup>  
duranum, Osualdum Berum Basil. Guli-  
elmum Gratarolum Bergomatem, & Io-  
hannem Acronium Frisium (quorum pri-  
mus anno huius seculi undequinque  
simo, postremus autem Mathematices  
Lector publicus, sexagesimo quarto, cæ-  
teri uero eius decuriæ septimo & octa-  
uo, uitæ munia peregerunt) Medicos o-  
mnes annumerare, iuxta illud,

In l<sup>g</sup>ōs γάρ οὐκ πωλῶν αὐτάξιον ἀλλων,  
præsertim cum Reipublicæ seruierint,  
atque Frisio fidissimo præceptore ego  
peculiariter usus sim: uerū & hos ali-  
osq; ne compendij metas excessisse ui-  
dear, breuius transcurro. Solius Beri à  
hæredibus neglectum Epitaphium  
subi<sup>c</sup>cere libet.

HEVS VIATOR,  
 TRISTIS SPIRITVS ET MENTEM  
 CONSUMIT ET OSSA;  
 OSVALDV S EGO BERVS FVI;  
 NON COVS ILLE  
 SENEX,  
 SED VRBIS HVIVS  
 HIPPOCRATES.  
 VIXI LÄTVS; LÄTVS  
 OBIVI;  
 ET DOMINO VIGILANS;  
 DOMINO TANDEM  
 OBDORMIVI.  
QVID ULTRA?  
 MORTALITATIS EXVVI  
 POST VXC AET: AN:  
 HEIC  
 DEPOSITO;  
 CVM CHRISTO LÄTVS  
 RESVRGAM.  
 A. C. S. CL. ID. LXVII.

Seb. Casta  
 lib.

Ad minoris igitur Caemiterij peristyli  
 lion prôgrédior. Extat illic Sebastiani  
 primum Castellionis Sabaudi natione  
 monumentum, uiri excellenti linguarû  
 cognitione pietateq; præditi, usus hisce  
 donis

donis ad barbariem è sacris libris profligādam, eorumq; translationem fidelēm, Latinam atq; perspicuam efficiendam. Bibliorum interpretationem anno 1542 Genevæ aggressus, nono pōst anno absoluit, magna animi alacritate in eis uertēdis & prospera ualetudine semper usus, obscurorum locorum intelligentiam precibus sæpenumero à Deo efflagitans. Græcas literas octodecim annis Basileæ docuit. Cætera qualis fuerit sepulchralis inscriptio insinuat.

## IOVÆ OPT. MAX.

SEBAST. CASTALIONI ALLOBROGI,

GRÆCARVM LIT. IN ACAD.

BAS: PROFESSORI CELEB.

OB MVLTIFARIAM ERVDIT. ET

VITÆ INNOCENTIAM DOCTIS

PIISQ: VIRIS PERCHARO;

PRÆCEPTORI OPT. ET FIDELISS:

STANISLAVS STARZECHOVVKI

IOANNES OSTROROG

ET GEORGIVS NIEMSTA

POLONI:

vt POPVLARIVM SVORVM QVI EVM  
AUDIERANT VOTO,

ET PRIVATÆ PIETATI  
SATIS FACERENT:

AD PVBLICI LVCTVS SOLAMEN

H. M. B. M. P.

OBDORMIVIT IN DOMINO,  
ANNO CHRISTI SAL.

M. D. LXIII.

III. KAL. IANVARII.

ÆTATIS XLVII.

**Michael L. Singrinus.** Excipit hunc sinistro latere, Michael Singrinus, inter principes Typographos Basilienses non postremus, eaqué arte feliciter mondeq; tractata, eruditis ubiq; gentium notus, qui ante dié summo bonorum iuctu extinctus est, 5 Novas Martij, 1557. Saxo hi uersus insunt.  
*Huic tu qui transis pacem requiemq; precare,  
Ac uitæ numerans tempora, discere mori.*

Eum non multos post annos eiusdem ordinis ciuis clarissimus, uenerandaq; canicie conspicuus, Hieron. Frobenius sequutus, iuxta hunc collegam suum in spem nouissimi diei tumulatus est. Lucas marmoreo Epitaphio illustris est, in hunc modum.

D. O. M. S.

HIERONYMO FROBENIO  
 IOANNIS F. TYPOGRAPHO CLARISS.  
 INTER INITIA FOED. HELVETII  
 BASILEÆ NATO,  
 SYNCERÆ RELIG. ET AEQUITATIS  
 OBSERVANTISS.  
 DE REPVB. LITER. OPTVMIS AVTORIB.  
 EMENDATE ATQ. ELEG. EDENDIS  
 PRAECLARE MERITO,  
 HUMANITATE AC BENEFICENTIA  
 DOMI FORISQ. OMNIB.

CHARO

IN ACERBISS. AC DIVTVRNIS STOMACHI  
 CRVCIATIB. QVIB. ET TEXTINCTVS EST  
 SVPRA FIDEM  
 AD EXTREMVM VSQ. PATIENTISSIMO;  
 M. S. ERGO:

AMBROSIVS ET AVRELIVS FF.

PARENTI LONGE' CHARISS.

M. PP.

B. ANNOS LXI. MEN. VII. DIES VI

O ANNO CHRISTI

M. D. LXIII

II EID. MARTII.

H Con-

118 EPITOME HISTORIAE

Conditorum hoc distichon haberet

Gentem expectamus nostram spes altera uitæ

Frobenij quondam, nunc gelidi cinctores.

Cælius S.

Sed nec tu mihi præceptor quondam

Cuius. colendissime, Cæli S. Curio, in extimo

illic angulo recodus, sicco pede trans-  
eundus es, postulantibus id non fo-

lum publicis meritis, sed priuata etiam  
tua, qua erga me usus es humanitate.

Hic Cyriaci Subalpinæ gentis apud Ita-  
los oppido natu&, & in Taurinensi Gym-

nasio ingenuis artibus imbutus, cum ob-  
synceram Christi doctrinam, quam ab

ineunte iuventa, spretis Papisticis su-  
perstitionibus amplexus fuerat, uarias

a cucullatis perlequutiones, carceres &  
uincula passus esset: semper tamen post

tot Eporediæ, Taurini, Lucæq; inten-  
tatas mortes atq; flamas, prætentissi-  
ma numinis ope ereptus, evasit.

Quanquam autem in aliquot Italæ urbibus

suæ eruditionis famâ sparisset, eoq; no-  
miõe multorū gratiā sibi cœiliasset: quia

tamē ob Pontificis Romani insidias nul-  
libi tutus esse poterat, sese trans Alpes

Lausannam primum, post anno 1547 Ba-  
fileam recepit, ubi à uiris doctis huma-

niter

Niter exceptus & habitus ; Oratoriū  
natus est professionem, in qua talem se  
præsttit, ut ē remotissimis regionibus  
illius audiendi gratia plurimi conuola-  
rint. Magistratui sanè adeo acceptus fu-  
it, ut eum unā cum liberis omnibus, ciui-  
tatis iure donārit. Mōnumētum ejus  
iuxta chara pignora, Augustinum nem-  
pe filium, tresq; filias ante illius obitum  
intra uiginti dies sequa pestilentia absu-  
ptas, Epigraphe tali insignitum est.

HOSPES HAVĒ ET DISCE,

NON CÆLIUS HEIC,  
SED CÆLII ΣΩΜΑ, IMMO ΣΗΜΑ,  
SPIRITVM CHRISTVS HABET,  
CÆTERA NOMEÑ

VERA PIETATIS,

HUMANITATIS,

INSIGNISQ; CONSTANTIA;

QVOM ΣΩΜΑ IN שׁ

TVNC VERE ERIT,

CÆLIUS SECUNDVS CVRIO.

HOSPES SI DIDICISTI

VALE;

RELIQUIT AT. SV. AN. LXVII.

VAL. CLO. I. LXIX.

AD VIII CL. DCB.

H z Au-

Augustino autem filio, Sarracenicę historię scriptori, nec multò ante excessum eius ad publicam Rhetorices professionem uocato, uiuens talem alabastro memoriam inscribi curauerat.

**Ianua. D. SER. SO. SA. s. Vitæ.**

**Celius Secundus Curio**, Augustino filio dulciss. Sāctissimoq; Polyhistori, Rhetori; cuius corpus heic cum III sororib. lectiss. iacet, Spiritus cūm Christo, nomen immortalib. scriptis uiuit in Terris: socio & herede studiorum orbatus, dum reuiuiscit Po. Vixit ann. XXIX.

**Obiit** An. Do. CIO. Iō. Lxvii.  
die XXIII Octo.

**Huius ad exemplum iuuenes florentib annis,  
viuere ritè Deo, discite ritè mori.**

**Viridarium templi ca<sup>te</sup>thedralis.** Retro Basilikam planities est, gramineo solo amoenissima, æstiuisq; deambulationibus ualde opportuna, Palatiū uulgò appellant. Præterquā enim quod ex eo loco, firmissimo opere extructo, moleque fortissima Rheni alluentibus undis obiecto, ad ipsum flumen aruaq; longè lateque patentia iucundissimus prospectus datur: Tilia inibi, ob ramos orbiculariter diductos, duplici columnarum

narum serie suffulta, sole sub ardente gratissimam umbram exhibet, aura ob loci commoditatem nunquam non aspirante. Hoc è loco Basilienses, tempore Ludouici Bauari Imp. cui inuitò Papa constanter adhærebant, legatum quondam Romanum, diras ipsis intentantem, fulminaque Pontificia ferentem, è sublimi præcipitem dedisse, ex Vito durano monacho Stumphus retulit. Quādō autem structura hæc sumptuosiore opere restaurata sit, uersus circa arborem docēt, ab Heinrico ni fallor Glareano facti.

*Iulius Ecclesiæ dum præfuit ecce secundus*

*Dum sceptra Imperij Maximilianus habet,  
Hoc opus excisum, quo Rhēmū cernere amœnum,*

*Quo nemora & campos, monticulosq; potes,  
Quo geminas turres & mœnia conspicis urbis,*

*Concentus audis dulcisonosq; modos.*

*Anno Domini, M. D. XII.*

Contigua est huic Episcopalis Curia, Curia Episcopi, loco ad Rhenum non minùs insigni, cuius domum unam Io. à Fleckenstein erexit, splendidiorem alteram cum sacello, Felix primùm Pontifex, dum Concilij causa hīc ageret, reparare, & in accuratiorem cultum reuocare cœpit. Arnoldus

uerò è Rothebergia familia Episcopus, at-  
testante inscriptione, absoluit.

Vlrici pera-  
chia anti-  
quata.

Cōiunctum habet Vlrici fanum, quod  
etsi recens esse multi opinentur, ante a-  
liquot tamen secula parochiam fuisse  
celebrem inuenio. Concidit quidem  
grandi illo Terrēmotu cum plerisq; , re-  
stauratum est tamen deinceps, ipsaque  
turris, anno 1444 sub Armeniacorum  
terroribus, erecta est, Iohanne quodam  
Regio pastorem illic agéte. Nostro tem-  
pore ob templorum copiam alijs seruit  
usibus.

### C A P V T X.

Cenobij Santalbanensis institutio iurag. Urbis ange-  
platio, Mæniorum perimeter. Officinae  
chartaceæ & Chalcogra-  
phice.

Albanus  
Martyr. **I**n extimo illiç urbis uersus ortum an-  
gulo, loco ad ripam Rheni depresso,  
quod idcirco *im Loch* appellant, ad  
Birſe riuum eò deductum, antiquissimum  
est Cenobium, diuq; Albano martyri di-  
catum. Hunc apud Macedones Episco-  
pum Philippensem primū fuisse scri-  
bunt

bunt, qui sede sua Arrianorum infidijs  
deiectus, Romam ad Leonem Pontifi-  
cem, inde ad diuum Ambrosum Medi-  
olanum concescerit. In Germania demū  
Arrianis doctoribus sese opponentem,  
sub Theodosio iuniore, capite mulcta-  
rum. Templum hoc cum monasterio  
Burchardus Hasenburgius, baro Ergo-  
uius, Basili. Episcopus anno 1083 funda-  
uit atq; dotauit, monachosq; Benedi-  
ctinos Cluniacensis ordinis, cultus diu-  
ni illic assiduè celebrandi causa, introdu-  
xit. De donationibus instrumentū fun-  
dationis sic habet:

Ego Burchardus Episcopus qui istam congre-  
gationem institui, consilio fratrum meorum, tam  
Laicorum quam Clericorum, de proprijs meis redi-  
tibus dedi Sancto Albano, fratribusq; Deo eiq; fa-  
mulantibus. Lorracho cum Ecclesia, omnibusq; su-  
is appendicijs, tam in vineis quam in agris, pratis et  
sylvis. Ecclesiam de Howingin cum suis, Ecclesiam  
de Chandro cum suis. In villa que dicitur Inferior  
Basilea Ecclesiam cum suis. Curtim & Ecclesiam  
de Hegindorf cum suis. In ciuitate Basiliensi Ecce-  
liam beati Martini, et decimam in villa que dicitur  
Hüningin. Medietatem Ecclesie in villa que dici-  
tur Kemiz, & medietatem ville cum suis appendi-

Villa infe-  
rior Basilea.

cij. Ecclesiam de Bozinsheim cum suis appendicij: et tamen ratione ut Prior ab ipsis institutus, uices nostras per omnia ibidem habeat in cura animarum, sicut & Prior S. Albani in ciuitate Basilea, sicut fluuius Birficus determinat, ita tamen ut Capel Lani ab ipsis electi, uices ipsorum in his quæ ad plebis curam pertinent, agant. Ecclesiam & uillam de Appenwiler cum suis appendicij. Syluam quæ sita est iuxta S. Albanum, molendina in ripa Birfæ, cum pratis & agris adiacentibus. In villa quæ dicitur Binningin, etc.

Aduocatū horum locorum, citrā quidem Rhenum, Ruodolphum Comitem de Honberg, ultra uero, Theodoricum de Rötinlein, designauit. Ita enim religiosis congregationibus tutores constituebantur, ne qui diuino cultui destinati essent, politicis uacare negotijs cogerentur. Aduocatorum munus erat, non solum Cœnobia, sed eorum etiam iura possessionesq; tueri, uillis seruisq; imperare, monasterij nomine iuramenta exigere, & si quæ his similia, quibus idcirco de iudiciorum fructibus & emolumentis pars aliqua cedebat. Quinetiam tanta eorum authoritas fuit, ut Cœuentui plerunque, citra aduocati consensum, bonorum

Aduocati  
Cœnobiorum.

norum immobilium nihil alienare li-  
cuerit.

Idem Præsul iurisdictionem Ecclesiæ  
S. Albani totiusq; tractus, à muro ciuitatis usque ad pontem Birsa, Prioris & successorum eius arbitrio commisit, excepto sanguinis iudicio, quod (inquit fundator) meis Officialibus iudicandum reseruauit. Finis diplomatici, quo antiquius apud Basilienses nullum uidere licuit, sic habet.

Testes huius rei sunt, Chuono Lausanensis Episcopus, Rudolphus præpositus, Hupoldus vice-dominus, Berchtoldus thesaurarius, Hugo de-canus, Adilbertus Can. Ebirhardus Can. Rudolphus aduocatus, Adilbero comes\* Hermannus ca- \* de Vro-  
mes, Ludeuicus comes, Burchardus miles, Adilber- burg.  
tus pincerna, Lampertus dapifer, Anno, Vuernhe-  
rus, Rienherus, Heizo, Adalgoz, Burchardus, &  
alijs quam plures. Acta sunt hæc Basileæ, in præsen-  
tia Burchardi Episcopi, qui hanc chartam dedit:  
indictione xii, Luna 1. Regnante imperatore Ro-  
manorum Heinrico IIII. & filio eius rege Hein-  
rico V.

Instrumentum hoc constructa de-  
mum Ecclesia cœnobioque, anno 1103  
perscriptum esse, ex uerborum teno-  
re, Indictione, alijsque sub finem pos-  
tis,

tis, colligo. Fundationem hanc Eugenius & Cœlestinus, horum nominum teretiij Pontifices, approbarunt, eiq; Fridericus Barbarossa Imp. sub dato Vlmq; quarto Kal. Augusti, Anno 1152 imperiale patrocinium adiecit.

Prioris Sæ-  
albani Iu-  
risdictio,

Ab eo igitur tempore totum S. Albani suburbium à Chunonia turri, ad usq; portam Pacis, reliquusq; campestris traetus, usq; ad superiores Birsæ pôtes (inferior enim sublicius, qui non homines tantum sed & onustos currus transmittit, ante 150 annos nondum extitit) Prioris iurisdictioni paruit. Illius Prætorem cum assessoribus ad causas ciuiles dirimendas, cæteraq; eius oppiduli negotia disponéda, ruralium item litium arbitros, constituendi ius fuit. Atque ideo Chunonia urbis porta, tanquam aduersus extraneos, singulis noctibus ponte pendulo cludebatur, ipsaq; platea, que hodie exteriùs proximè ad Cinerū sub urbium ducit, fossa abinde ad portā pacis producta, interrupta erat. Qua de causa, cum Santalbanis Episcopalis seu pastoralis curæ uices citra Birsicum, intra etiam Basiliensium mœnia, commen-  
datę

datē essent, nec eorum parochus, graſſante potissimum Epidēmia, pro Sacramentorum administratione urbem noctu ingredi posset: ijs intra urbem facelli construendi copia facta fuerit, prope quod parocho habitatio data.

Anno postmodū 1383, Stephano Degelio Brisgoio Priore, Conuentus ob uaria beneficia accepta, omnem suam Iurisdictionem ciuitati Basiliensi donauit, ad praeueniendas inimicitias, quæ ex iuriis istius ad alienos translatione, excitari potuissent. Pro quo beneficio illi uicissim in ciuitatis ius recepti sunt, remitto omni telonio, quod molitorum & pistorum causa soluere tenebantur, Cœnobium insuper intra exteriores muros fosſasq;, quibus omnia tū cincta sunt suburbia, comprehensum fuit.

Occasionem ampliandorū urbis munimentorū, exacta periculofissima tem- Basil. exte-  
pora dederant, quibus Gallorum Brito- riore foſſa  
numq; militaris colluuies, post pacem a. muroq; cīp.  
Bretigniacam inter Anglos Gallosq; i-  
nitam, duce Cossinio (non Guisio, ut  
quidam opinati sunt) ingenti cum terro-  
re damnoq;, in hanc terras effusa uene-

rat. Quæ sanè res haud exiguae molis fu-  
it, tantæ amplitudinis profunditatisq;  
fossam, ad 2000 passuum, ab una Rheni  
parte ad aliam circumducere, nouisq;  
mēnibus, turribus atque propugnaculis  
amplissima suburbia uallare ac commu-  
nire. Cęptū est hoc opus anno 1384, uel  
paulò citius, & quindecim annorum spa-  
tio uix absolutum.

Menorū  
perimeter. Vrbis quem dixi perimeter Meniscū  
refert, portis quinq; patens: quarum hu-  
ic Cœnobio proxima, Santalbanensis: al-  
tera Austrum spectas, à uicino pago Ae-  
schemia dicitur. Inter utramq; turris est,  
in qua cū olim pulueris tormentarij ua-  
sa aliquot asperuata essent, 13 Kalend. O-  
ctob. anno 1526 igne cœlesti tacta, subito  
dirupit, quod Erasmus epistola quadam  
ad Varium graphicè descripsit. Ad hyber-  
num occasum & Birisci influxum pandi-  
tur alia, à copijs militaribus nomen ha-  
bens, Ger. Das Heerthor, fortè quod Ru-  
dolphus Habsburgius urbem obsidens  
ante hanc castra metatus fuerit, hostēq;  
assiduis uelitationibus ciues illic exer-  
cuerint. Bina tamē utrinq; propugnacu-  
la recentia sunt, & post bellum Germa-  
nicum,

nicum, quod Protestantium uulgò appellant, primùm extructa. Quæ ad occasum estiuum porta prominet, Spalensis, Rheno uero proxima, à Iohannis Baptiste templo, Rhodiorum illic militum domui iuncta, denominatur.

His totidem interioris prisciq; pomarij portæ respondent, & quidem postrema huic obiecta, Crucis quondam nomen habuit. Huic una interius parte uelatarum aliquando latibulum iunctum fuit, altera ad Rhenū domus ampla est, à Bernhardo Rotbergio Consule tempore Concilij habitata, publico autem Gymnasio condito, à facultatis artium proceribus sub Bursæ Leonis nomine studiosorum contubernio dicata. In ea Rudolphi Habsburgij Cesaris statua spectatur, quam ipso imperante illic eretam perhibent. Quæ contra Spaleam patet, Egolphiana dicta fuit, ubi cœnaculum siue carcer aliquantò spaciosior, Andreæ quondam Crainensi Archiepiscopo constructus, arq; suspendio illius nobilitatus, cuius rei seriem aliás dabo. Iuxta hanc Beguttarum aliud lustrum fuit, quod postea in Collegium transiit, Bursa Pa-

## 156 EPITOME HISTORIAE

sa Parisiensis appellatum. Quæ uero in  
opposito latere sub antiqua arce iuxta  
Minoritarum cœnobium, Fauonium ex-  
cipit, ab asinis (ut postea dicetur) nomē  
obtinuit. Altero deinceps cliuo imposi-  
ta, Tiersteiniorum quondam Comi-  
tum domum coniunctam habens, ex-  
teriori ~~auoruue~~ fuit; Aeschemia uocata.  
Postremam denique (ut in pristinum  
reuerter locum) ubi amplissima domus  
militum Teutonicorum Mariæ ordinis  
Hierosolymitani, Chunoniam uocau-  
re, conditore forsan, cuius effigiem la-  
queo collum cingente, ostentat, refeten-  
te uulgo, divitem eum capitis supplicio  
afficiendum, structura eius uitam rede-  
misse. Sed ad has me ambages ampliatae  
urbis mentio perduxit.

Redeo igitur ad cœnobium de quo  
mihi sermo primū fuit.

**Incedium calamito-**  
**sum.** Grandi illud damno affectum est, ca-  
lamitosissimo incendio, quo 3 Nonas Iu-  
lij, Anno 1417 prope Prochotrophum  
maiis infidijs cuiusdā excitato, 250 do-  
mus (quarum structura iam inde à terrae-  
motu uilis, lignea, scadulisq; recta erat)  
intra paucas horas conflagrārunt, flam-  
mis

mis in eum usq; urbis angulum uentorum rabie proiectis. Meminit huius incendij, Poggius Orator Florentinus, qui ex Concilio Constantiensi tum durante, h ac iter faciens, illud offendit, unde in libro de humanæ conditionis miseria, sic scribit: Paucis antea annis urbs Basilea nobilis, iuxta Rhenum posita, maiori nobilioriq; ex parte incendio conflagravit: Vidi ego illac iter faciens adhuc urbis illius fumantia ædificia, & domos in cinerem uersas: Conspicitur in huius claustris refectorio Episcoporum Basil. omnium successio, picturaq;. Tempulum diebus festis matutinis cōcionibus precibusq; deputatum est.

Cœnobium ab ortu Borealiq; plaga Rhenus alluit, ab Austrina Birsærius humana industria eò adductus, succedit, in duo brachia diuisus, quorum unum frumentaceis molis, chartaceis alte rum seruit. Illæ ut abolito duro pistrinorum labore, ad hominū alimoniam ingeniose excogitatæ sunt: ita hæ inuento non nimis antiquo, ad propagandam diuinam humanamq; sapientiam, ad rerū memoriam conseruandam, & infinitas uitæ nostræ utilitates introductæ. Exclusa

Officiorum  
Papyri.

foria sanè ars, cuius inuentio Iohāni Gutenberg Argentinensi, circa annū 1440 ascribitur & Moguntinos primum docuisse fertur, quanquam per se nobilis, sine hac tamen finem suum neutiquam consequi potuisset. Galliciones autem, ex ea Hispanorum regione orti, unde nomen traxerunt, post erectam Academiā & apertas ueluti Musarum ianuas, apud Basilienses primum chartaceam artem felici sydere exercuerunt excitaruntq;; è quibus Anthonius & Michael Gallionos anno 1470 uixere. Quae res tot tamq; nobilibus Chalcographijs occasionem dedit ut hoc mercimonij generre, Basilea nulli Germaniæ, ne dicam a liarum quoque gentium, urbi cedat.

O' diuina & humano generi salutaria inuenta, quibus Deus Opt. & Max. serā hanc mundi senectam dignatus est, ut pro immensa sua benignitate, appetente Euangeliū luce, qua ante Cenforium diem, intemerata salutis doctrina, per omnes mundi partes spargenda erat, mortalium genus hisce adminiculis instruere uoluerit, quibus sacræ literæ (ut profana scripta fileam) ante nō nisi à paucissimis

simis magnis sumptibus in membranis  
descriptas, cui libet hodie suo idiomate,  
legendæ pateant: quibus item prisci no-  
striq; seculi scriptores omnigeni ( olim  
non nisi in publicis armarijs, & disper-  
sim quidē, asseruati) à studio ferè quo-  
libet ære exiguo comparari possint.

Inter Basiliensium primos Typogra-  
phos Bernardum numero Richelium, Typogra-  
phi Basil.  
qui anno salutis 1478, Hugonis Cardi-  
nalis Postillam grandem, Bergomū itē  
super Thomam Aquinatem, aliosq; mul-  
tos, excudit. Michaelem item Vinsler,  
qui anno eodem Iustiniani Codicem,  
dein Breuiarium Ecclesiae Basil. aliaque  
æneis typis in lucem dedit. His αύγεοντος  
est, Nicolaus Kefler, qui D. Hieronymi  
epistolas, Dictionarij uolumen vastum,  
cum adiuncta Guarini Veronensis pro-  
sodia, anno 1486 emisit. Hos in sequutus  
Iacobus Phorcensis, circa annum 1500,  
Ambrosij Spieræ Perusini Carmelitæ,  
sermones, Stephanum Brulefer in Bo-  
nauenturam, aliosq; huius farinæ autho-  
res, tum in pretio habitos, impressit. E  
pluribus ab hisce excusis, quosdam tan-  
tum recēsui. Sed & notioribus nominis

bus mihi memorādi ueniūt, Iohānes Pe-  
tri & Iohannes Amerbachius, quorū hic  
nō tantūm ob librariā artē feliciter tra-  
statam, sed etiam laudatissimæ posteri-  
tatis nomine, inclaruit. Iuxta eos autem  
minoris notæ, Michael Furter & Pam-  
philus Gengenbach, in eodem puluere  
uerfati sunt.

Hos uerò ut illustriora tempora, sic &  
illustriores officinæ excepēre, Iohannis  
Frobenij, Andreæ Cratandri, Adami Pe-  
tri, quibus se collegam adiūxit Thomas  
Vuolfsius. Fuēre pōst Nicolaus Episco-  
pius, Io. Vualderus, Io. Bebelius, Valenti-  
nus Curio, simulque Robertus Vuinter,  
Bartholomeus Vuesthemerus. Sed & Io.  
Oporinus, Io. Herriagius, Michael Isin-  
grinius, Nicolaus Brylingerus, eorumq;  
succenturiatus Iacobus Parcus, Typo-  
graphicum artificium non ignobiliter  
exercuerunt. Cur ego uos uiros eximi-  
os, ciuesq; præclaros silentio prætere-  
am? qui industria nostra literarum opes,  
bonosque authores ab interitu vindi-  
castis, diuinæ atque humanæ sapientiæ  
thesaurum adauxistis, tot præclara in-  
genia excitastis, adiuuistis, urbem illu-  
strastis,

strastis, totiq; mūdo profuistis? Vestros  
tamen filios, nepotes, generos & suc-  
cessores, hodie adhuc superstites, quos  
in eodem genere sua laus manet, poste-  
ris commemorandos reseruabo.

## C A P V T X I.

*Cœnobium monialium ad Lapidés. Clororum illie-  
ciuum tumuli. Franciscanorum  
basilica.*

**A**D occiduam plagam extra anti-  
quos ciuitatis muros, moasteri-  
um est, pro mulieribus olim con- Cœnobium  
structum, qui de Mariæ Magdalenaë Pœ- penitentiā  
nitentia, siue erant, siue dicebantur. Ad ad Lapidés,  
Lapides uulgò nuncupatur, eò quod ad  
Birsici torrentem conditum sit, silici-  
bus atq; lapidibus adeò abundantem, ut  
nonnūquam pro aluei ampliatione ma-  
gna copia euchendi fuerint. Quo tem-  
pore extructum institutumq; sit, ignora-  
tur: quanquam moniales quondam Vi-  
cedominorum Basiliensium opus fuisse,  
existimārint. Verùm cùm illius rei nulla  
instrumenta extent, dubium relinquit.  
Cum enim anno 1253, Pontifex Roma-

nus Conradum Cæsarem, Friderici secundi filium, anathematis fulmine i&tū persequeretur, atq; ingēti scismate Christianus orbis concuteretur, principibus multis Sueuorum, Episcopis autem Pontificis eiusq; authoritate promotorum partes sequentibus, inter quos & Basiliensis erat: res ea Rodolphum Habsburgorum Comitem, pōst Romanorum regem, (quem Fridericus Imp. ex baptisme susceperebat) adeò malè habuit, ut hac animi ægritudine motus, anni præmemorati nocte quadam, baronum aliquot atq; clientum suorum auxilijs stipatus, nepe Gœrdi de Gōskon, Hérici de Palma, Rudolphi de VVedeschuiler Henrici de Kienberg & Gerungi de Tegeruelt, in Episcopi odium cœnobium hoc ex improviso adortus spoliauerit & incenderit, id quod ob locum suburbani factu obuiam erat. Qua violentia diplomata & si quę illic antiquitatis memoranda fuere, partim ablata, partim in fauillas redacta sunt. Pontifex uero cognita hac iniuria, sub dato Anagniæ Episcopo Basil. mandatum misit, universos huius tam audacis facti reos, omni

Rudolphi  
Habsburgij  
factum.

ni appellatione remota, tamdiu ab Ecclesiæ communione excludendi, eoque nomine publicè renunciandi, donec iniuriam passis satis fecissent. Vtrum autem aliqua illis damni pensatio contigerit, non reperio, quin potius non minimam inde causam pro manasse arbitror, acerbissimi illius odij, quod in diuturnum postea bellum erupit, ut alibi dicetur.

Desolatum post hanc cladem cœnobium mansit, usque ad annum 1275, quo Arnoldus de Blatz. Arnoldus de Blatzheim, vir nobilis, uicarius Basili. chororum, dormitoria, alia que ædificia, reparare cœpit, multisque redditibus locupletauit, Bertha sorore præside, Martino 4 pontifice approbante. Qui proin ab incendio pro fundatore habitus est. Obiit anno 1284, ante altare maius illic funeratus. Transiit tamē conuentus is circa annum 1300, ad Dominicanorum sectam, Thuringo Ramsteinio Priorem agente. Calamitas postea terræmotus sequentis, nouam huic religioni dissipationem artulit, ædificijs adeò disiectis, ut diu habitari non potuerint.

Successere dehinc magis secunda tempora, quibus rebus earum confirmatis proq; uoto succendentibus : in liberiorē etiam atque dissolutiorem uitam, quām earum religio uotumue ficeret, desciueret. Recte enim Poēta,

*Luxuriant animi rebus plerisque secundis.*

Quae res effecit, ut anno 1423, mense Nouemb. à Petro Gengenbachio, Prædicatorum per Germaniam Magistro, reformatæ & in ordinem redactæ sint, cœnobio arctissimè clauso, Obseruantiaq; (quā illi appellat) introducta. Cui negotio promouēdo Senatus Basil. Iohannē Rich de Richēstein, Burcardū de Rheno equites torquatos, Nicolaū Murer, qui & aram ibi S. Trinitati suis sumptibus erexit, Amandum Offenburgium, & Petrum Geig uiris nobiles, deputarāt. Cumq; earum quædam arctiorem disciplinam recusaret, tredecim aliæ è sacris contubernij Schönensteinbach, superioris Alsatiæ, introductæ sunt, primam eius religionis præsidem Margaritam ab Osten naqtæ.

Tumulati sunt illic multi utriusq; sexus præclari homines ciuesq;. Inter eæ teras

teras illic religionem professas, Itham Ith<sup>2</sup> Rinfel  
quandam Rinfeldensem, anno 1313 no- dia sancti  
nis Februarij uiuis exemptam, annali- monialis.  
bus suis celebrarunt, utpote quæ nō tan  
tum uitæ integritate ac sanctimonia se  
uerè Christicoram declararit, sed etiam à  
morte miraculis (ut tum<sup>i</sup>putabatur) cla  
ruerit, adeò ut quò minus sanctorum Ca  
talogo ascriberetur, nil præter Pontificis  
assensum uoluntatemq; ei defuisse, op  
nati sint. Retro aram martyrum myriadi  
sacram, Vicecomitorum Basiliensium  
quondam eleuata tumba fuit. Vice domi  
nos ego prisco seculo fuisse arbitror, le  
gitimi Domini, Episcopi scilicet, in rerū  
politcarum atque iurisdictionis admi  
nistratione uices gerentes, quasi gene  
rales præfecti seu locum tenentes, apud  
Insubres Vicecomites dicti. Atque hos  
ego ante quadringentos annos magna  
in urbis gubernatione autoritate pol  
luisse nihil ambigo, quo tempore nul  
los Consules neq; Tribunos plebis in  
uenio. Durantq; in hunc usq; diem red  
ditus iuraq; nonnulla, huic muneri attri  
buta. Officij nomen postea in familiam  
transiit.

Vicedomi  
ni.

**Iohannes Reich Con** ab anno 1421 summo Magistratus mune sal. Recubat ibidem Iohannes Rich, qui aliquoties functus est, pacis item bellicis temporibus strenuam pro Republica nauauit operam. Aurantium namque Principem Burgundionum copijs Sun gouiae hostiliter imminentem, cum tribus millibus Basiliensium, Catharinæ Burgundicæ, Leopoldi Austrij uiduæ (quæ post mariti obitum regionem eam usufructuario iure possidebat) tum fœderatorū, anno 1424 repressit, ut latius alibi descriptum dabitur. Naturæ cōcessit, anno 1448 postridie Pentecostes.

**Adelbertus & Bernhar Meieri.** Nostra memoria duo Meieri fratres, Adelbertus atque Bernhardus Coss. benè meritissimi illic humari uoluerūt, quorum ille ab anno 1521 decies & quater Consulis suffragia rulit, sexto Idus Iunij, centesimo post Richensteinum anno, ad superos euocatus: hic uero post fratri obitum, quinques Consulatum gessit, Idibus Martij, anno 1558 corporis uinculis exutus, maiorumq; conditorijs illatus.

**Vuölflij.** His addo Vuernherum & Bernhardū Vuölflios, Medicum illum, sub Gymnasi au-

Si auspicijs, primum Medici collegij De curionem, hunc uero Iurisconsultum, anno 1520 immatura morte sublatum.

E regione Monasterij huius, intra mænia prisca, tuitorem sibi locum, fratres Franciscani Ordinis Minores, circa annum salutis 1234, elegerunt, ubi & successu temporis amplissimum cœnobium cum templo construxerunt, quod magnificantia, celsitudine atq; capacitate, nulli totius urbis ædi cedit. Quanquā enim loco depresso sitū sit, uertice tamē penè supeminet omneis. Sectæ huius religio à Francisco Assisio Italo, anno 1211 (si Guidoni Bonato Astrologo credimus) introducta, adeò breui temporis interuallo omnes mundi plagas peruasit, ut si quis cœnobiorum eodem penè tempore enatorum multitudinem animo colligat, profusam hominum liberalitatem, meritò mirari possit, qua huius instituti personatis, adeò secudis animis locum dare, eorumque conatus promouere potuerint. Ex insignibus in eo fano suspensis apparet, plerasq; aliqui notæ familias, uarijs oblationibus eorum amicitiam precesq; sibi con-

Minorita-  
rum cœno-  
biuum.

ciliare uoluisse: siquidem Aenea Sylvio teste, pro morientium numero scuta è sublimi suspendi solita fuere, è quibus eorum benefactores colliguntur. Apparet inde Barones Ramsteinios atq; Frobergenses *de Toulliers*, Eptingeros item nobiles, qui clypeos illic supra triginta habent, subsidio & fauore eos præcipue complexos esse, ac reliquos deinceps quos enumerare non est operè pretium.

Locus ijs primùm non admodum magnus pro suæ religionis exercitio designatus fuit, qui tamen post ampliandis suis latebris uigilem impenderunt operam, nulla occasione prætermissa. Alpirauit illis amplior fortuna eo tempore, quo Henricus Isnensis, ex eorum cœtu, apud Basilienses Episcopale pedum natus est, quo patrono, rebus eorum promouendis neutiquam imbelli, pomeria eorum dilatata sunt, circa annum 1276. Decennio postea, uiduas duas, aulas ipsiis contiguas ultrà Birficum iuxta Assiniam portam possidétes, Beaticem nempe, Theobaldi Comitis de Nouo castro fororem, & Adelheidam Hermanni Domini de Kienberg uiduam, demulsiere, ut

re, ut illę quoq; domicilia sua eorum u-sibus purę ac simpliciter propter Deum (testibus instrumentis) condonārint, at-que ita ad utramque Birsici fluuij ripam pedem fixerint.

Dum generalis hīc Synodus ageretur, forum illic causarū à Conciliij iudicibus discutiendarum, datum fuit, quinetiam Deputatio pacis celebrari solita. Acta re-  
rum forensium in Carthusiana bibliothē-  
ca asseruātur. Sed & hic locus Bibliothē-  
ca quondam nō caruit, quę tamen hodie  
dissipata est. Anno 1531, murus, qui hor-  
tum cum Cæmiterio à reliqua platea se-  
parabat atq; cingebat, Magistratus iussu  
demolitus fuit, & amplissima illic area  
facta, foro lignario atq; uinario inserui-  
ens. Ædificiorum eius pars ludo litera-  
rio, pars Eleemosinę publicæ assignata  
est, reliquum Nosocomio magno, cui  
iunctum est, attributum.

Disertum & doctū habuit ut ea fere-  
bant tempora monachum, Rodolphum Rudolphus  
Buchsmanum nomine, salutis anno Buchsman.  
1410, qui pro Beginis, contra quos Do-  
minicani uehementer detonabant, eo-  
rumq; sectam impiam & ē medio tollen-  
dam

dam contendebant, disputando, cōcio-  
nando & nullum non lapidem mouen-  
do, acerrimè pugnauit. Historiam decen-  
nalis ferè conflictus eius, maiori nostro  
operi referuauimus. At multò syncerio-  
rem, eruditione ac pietate cumulatio-  
rem Guardianum nostra ætate tulit,  
**Conradus**  
• **Pellicanus.** Cunradum nempe Pellicanum Rubea-  
quensem, qui sub exortum Euangelij So-  
lem, cuculla amandata, Christum sequi  
maluit. Quantum hic repubescentis He-  
braismi progressum promouerit, Theo-  
logicoq; studio contulerit, scripta eius  
& in uniuersa Biblia commentationes  
testant̄. Anno 1526 post Iacobi Ceporini  
obitum ad oræcas literas docendas Ti-  
gurum euocatus, uxore ducta annis tri-  
ginta illic fœliciter docuit, uitamq; cum  
morte mutauit, Anno 1558, ætatis 78.

Hic præter heroas & uiros nobiles  
multos, quorum memorię interciderūt,  
**Adamus**  
• **Petri.** Adamus Petri typographus quiescit an-  
no 1527 mortuus, qui quantum æneis ty-  
pis sacrī scripturis in lucem reuocan-  
dis, contulerit, notum est. Hic enim u-  
triusq; Fæderis libros, à D. Martino Lu-  
thero reslorescentis Euangelij tempore  
in Ger-

in Germanicam linguam translatos,  
quò ab omnis conditionis sexusq; fide-  
libus legi & intelligi possent, edidit, pi-  
orumq; desiderio primus satisfecit, quo  
nomine posteritatis commendationem  
meruit.

## C A P V T XII.

*Leonardum templum. Cenobium Clarissarum.*

*Marii & Cereris conubernium. Iudeorum*

*exilium, cæmiterium. Lucas San-*

*Elopetritus.*

**S**Vpra Minoritas edito in loco Leo-  
nardinum parochiale templum, am-  
plum ac spectabile eminet, collem  
maiori Basilicæ oppositū, unā cum Cœ-  
nobio occupans. Hic olim arcem stetis-  
se, VVildeccium limosę uallis nuncupat-  
um, fama minimè uana accepimus: nā-  
que & ipsa structura arcem munitissi-  
mam fuisse etiamnum hodie loquitur.  
Sita est in urbis occiduo angulo, colle  
abrupto, turribus, fossa, muroq; satis fir-  
mo adhuc conspicua. Nec dubium est,  
collis illius ascensum prisco seculo ab-  
ruptiorem asperioremque fuisse, quām  
sit hodie, quando omnia humana sube-  
git

Porta 2*ā*  
norum.

git industria, cultusq; diuturnus. Hinc enim porta infra eam Asinina, German. Eselthürlin, dicta, ab asiniis per declivitatem eam onera deferentibus: quippe quod sylvestria & inculta eo in cliuo fuerint omnia, & nil nisi carboniorū domus, unde antiquorum instrumentorum testimoniō, Auff Kolheusern dictus est. Nomen sane à carbonibus hucusq; retinuit. Vanum autem esse, quod turrim portae modò dictam iunctam, in quam non nisi supplicio afficiendi ducuntur, ab Ezelino nominatam putant, antiquorum instrumentorum literatura satis arguitur.

Ezelius  
Leonardi-  
ni templi  
author.

Quod autem illi de Ezelino suspicatur, sic se habet. Cūm olim ante arcem modò dictam intra mœnia locus spacioſus & amœnissimus foret, quæ prospectus undique pateret, iaculatorium campum ciuibus præbens: adlubuit is Ezelino ordine diacono, maioris templi Præposito, viro religioso & authoritatis eximiæ. Cum igitur & locupleti patrimonio instructus esset, amplumque sacerdotium possideret (nam quod de nativa loci mundicie, qua eum nullius bestiæ, & ne præteruolantis quidem auiulæ

uiculæ stercore inquinatū prodiderunt,  
uanissimum monachorum cōmentum  
fuisse, res ipsa loquitur ) à Rudolpho  
Basilensi episcopo, salutis anno 1002, a-  
ream eā pro erigendo templo sibi liberè  
donari petijt. Episcopus igitur pio eius  
proposito facile assentiens, ut simul ci-  
uium quoque desiderio satisfeceret, af-  
sumptis cleri patritiorumq; præcipuis,  
loco hoc consenso, eum non sine solen-  
nitate Ezelino in Oecodomiam talem  
liberè donauit. Hic ille templum paro-  
chiale primū construi curauit, quod i-  
dem præsul, 4 Nonas Nouēb. anno 1033,  
Indict. 12, Cōradi 2 Imp. anno nono, Bar-  
tholomēi apostoli, & Leonhardi Cōfes-  
foris sacris dedicauit. Eandem fundator  
sesquicentum agri culti iugeribus, in an-  
tiqua villa, prope priscum Olinonis ca-  
stelli locum, uulgò Altschwiler, dotauit,  
obijtq; ut Annuerfariorum libet habet,  
Anno 1082: unde eum ad extremam us-  
que senectam peruenisse, colligitur.

Anno pōst 1135, Adelbero Basiliensiū  
Episcopus, è Comitibus Vroburgensi-  
bus prognatus, Eponis sacerdotis &  
loci eiusdem procuratoris precibus ad-  
ductus

Cœnobij  
institutio.

ductus canonicæ professionis religio-  
nem, secundum D. Augustini regulam il-  
lic instituit, Lothario tertio Augusto im-  
perante. Innocentius secundus institu-  
tionem eam, Pontificatus suū anno deci-  
mo, ratam habuit: diplomate Laterani,  
per manum Almerici Romanæ Ecclesiæ  
Card. diaconi & Cancellarij, dato, Kal.  
Martij, Anno 1139.

Cœnobio huic Henricus Nouocastré-  
sis, episcopus, salutis anno 1264, mona-  
sterium minoris Lucelæ, Augustinianæ  
sectæ, eiusdem diœcesis, ob reddituum  
tenuitatem, qui nec Prelatis, nec religio-  
nis illuc sustentandis sufficiebant, uniuit,  
statuitq; ut Leonardinus Prepositus, Lu-  
celensis quoq; præful foret.

Verūm anno salutis 1527, cum mona-  
sticæ uitæ superstitiones uanaque uota  
multis Germaniæ locis in despectum  
abire cœpissent, atq; VVindesheimenses  
religiosi, eiusq; loci Capitulum magnū,  
cui etiam Leonardini Basilienses eosq;  
in spiritualibus paruerant, publico edi-  
cto ordinem suū abrogassent, nec quen-  
quam in eum cooptandum amplius de-  
creuissent: Lucas Rollenbutius Tiguri-  
nus

Canonici  
regularis  
sectæ suæ  
repudium  
mittunt.

nus Prior, Conradus Robarius Supprior, cæteriq; conuentum Basil. repræsentantes, monasterium cum omnibus suis iuribus atq; redditibus, perpetuæ donationis titulo, quæ inter uiuos fieri solet, Senatui Basiliensi tradiderunt, uicissim ipsi in ciuitatis ius patrociniumq; suscepiti, assignata cuilibet in sui alimoniam certa pensione.

Ab eo tempore, Marcus Bersius Roschachiensis de lacu Acronio, diuina ora cula summā fide sinceritateq; iuncta uitæ integritate, plebi recludens in erpetatus est, cæterasq; pij pastoris partes diutissimè peregit. Nam & nascenti in hac urbe Euangeliō interfuit, adolescentiāq; annis 43 continuis præfuit, ut in ætate etiam decrepita, uniuersis qui eum audierant ob singulare docēdi donum, gratus permanserit. Summi deniq; boni, quod fide apprehenderat, spe conceperat, oreq; docuerat, contemplandi & perfruendi desiderio, ad 6 Kal. Aprilis, anno ætatis supra octuagesimum tertio, salutis autem 1566 mortalitatis uinculis placidissimè exolutus est.

Symmytam habuit aliquandiu Conradum

Marcus Ber-  
sius Theo-  
logus.

radum Lycosthenem, uirum non minūs insignem, cuius pietatem professionis fides, uitæq; conformatio, eruditionem & industriam lucubrations, testata fecerunt. Antiquissimum Pythagorei silentij symbolum, in instaurandis ipsius ædibus, anno 1549 terra egestum, humani capitis effigiem, labijs circulo confixis, auribusq; patulis ( quo ueteres illi prudentes, audiendum multa, pauca au tem ac non nisi recte meditata loquendum, innuebant ) sublimi domus parte publicè spectandum proposuit. Sed ut eo antiquitatis, ita & hoc immortalitatis studio sum ipse declarauit, quòd humanæ cōscius fragilitatis ac de meliore sorte assidue cogitans, alaræ mortis simulachrum priuatim sibi ob oculos semper collocatum habuit. Sane cum in Apophlegmatum opere desudaret, septimo ante excessum anno, 12 Kal. Ianuarij, paralysi tactus ( quem casum ipse in Prodigis luculenter enarrauit ) apoplexia tandem è uita migravit. Cui ob nominis celebritatem honorariā inscriptionem, quam lapidis angustia capere non poterat, subiçere lubuit.

BASILIENSIS.

152

SISTE GRADVM VIATOR.

SI BONVS ES  
MORERĒ VICTVRVS,  
SIN MALVS ES  
VIVE MORITVRVS.

HOCCE  
**CONR. EGO LYCOSTHENES**

RVBACENSIS,  
PHILOSOPHIÆ PERENNIS  
COMPENDIVM,  
ÆT. LVMINVM DATORIS  
BENIGN.

PER XLII. VALETUDINARI.

ÆT. AN. M. VII.  
D. VII.

SEDVLO SERIOQVE  
COMMENTATVS:

SIX KAL. APRILIS NON  
IMPROVISO APOPLEXIA  
TVRBINE,

AD CERTAM IMMORTALIT.  
AN. EIVSDEM REPAR.

M. D. LXI.

PRÆTER VOTVM METVMQ.

ABREPTVS,

SORTIS LIT. MVLTAM  
SALTIM

K 2

SI

SI NON MAGNAM,  
RELIQVI VSVRAM  
POSTERIS.

QVI POTES MELIORA,  
DEBES:

ATQ. VT PRÆSTES, IN REM  
TVAM ABI.

Judicium  
carnificib.  
datum.

Quia uerò Carbonarij cliui ubi carnifici, tortori, morticinoruq; traſtatoribus, loco à cæteris hominibus semoto, habitationes designatae sunt, mētio facta est: Iuber iudicium insolenti consuetudine notar fortè non indignum, ut & nostris hominibus ob raritatem admirabile, referre, quod infamibus eiuscemodi personis, litium aliquid inter se habentibus, aduocati authoritate eo loco cogitur. Consident illic sub tilia baiuli, quos à nescio quibus immunitatibus uulgò die Freiheits knaben appellant, graniorum præfectis in ferendis saccis, alijsq; seruilibus rebus publicis priuatisque hominibus famulantes, uili ueste rati, nudis omnes infra genua pedibus, quorum antecessor iudicis personam & scipionem prætoritum gerens, pedem alterum in urceo aqua replete, quamdiu

diu confessus durat, uel media hyeme, tenere cogitur. Hos causidici circumfistunt, litigantium causas (ita ut seruos alloqui moris est) proponunt. Ipsi uero si usus postulat, secedunt, consultant, redeunt atq; decernunt, ita ut ab ea sententia nulla partibus prouocatio detur. Feruntq; huius generis hominibus non nisi in paucis aliquot Germaniae urbibus, simili ritu actiones concedi.

Eodem in monte seu cliuo extra Egolphi turrim, ueteresq; muros, cœnobium quondam aliud fuit, sacris uirginibus, ordinis diuæ Claræ (quæ Frâciscanâ religionem mulieribus tradidit) sub Abbatissæ disciplina uiuentibus, datum, Gratiarum uallis nuncupatum. Quis ei principium dederit, cum instrumenta (h que illic forte habentur) uidere datum non sit, pronunciare nequeo. Arbitror tamē eas post suæ professionis socios Minoritas, hic quoque nidificasse. Templi ruinosa pars, in qua sepulturæ nullæ fuerant, ne otiose locū occuparet, pro necessitate pauperum subleuanda, anno 1573 à Magistratu in Granarium publicum conuersa est.

Cœnobium  
Gnaden-  
thal.

Martis dos. Huic loco inferiore paulò aliud succedit, tempore Basiliensis Concilij, ampla magnificaq; structura conditum. Cum enim id tempus annona graui, potissimum anno 1438, affligeretur, ita ut Argentorato alijsque remotioribus locis, non sine magno ærarij damno, triticum conuehendum esset: prudenti postea consilio ingens illa domus erecta fuit, inferiore loco tormentis bellicis asseruandis (unde eam Petrus Ramus domum Martis appellauit) superiore autem annonæ accumulandæ usibus seruicis, quò ingrauescente necessitate, renuioris fortunæ ciues inopsq; plebecula subleuari posset. Quod prouidi Magistratus consilium, quàm benè toti sæpenumero ciuitati cesserit, quinquennali præfertim caritate proxima, quæ superiores omnes pretio & diuturnitate superauit, satis compertum est.

Iudiciorum quondam cæmiterii. Dum Hebræis hic habitandi locus synagogaque concederetur, eorum illic Cæmiterium frisse vulgo notum est, cuius etiam rei indicium esse potuit, quòd cù anno 1567 architecti domus, quam illic publici muneriis causa à Magistratu signa-

Signaram habet, fortuito casu cōflagras-  
set: tumulatorū crania ossaq; multa, ter-  
ra pro fundamentis iaciēndis egesta, ef-  
fossa fuerint. Domus in foro boario, quę  
Iudæorum olim synagoga fuit, testibus  
Leonardinis instrumentis, in hunc usq;  
diem nomen retinuit. Rabbi Ralorem  
magnæ apud suos authoritatis, anno 1265  
hic egisse inuenio. Dissipatā sunt eorum  
Cæmiteria, anno 1348, quando Iudæi in  
hisce partibus ignis supplicio affecti sūt,  
eò quod intoxicatarum aquarum, epidī-  
mięq; tum per omnes terras grassantis,  
rei agerentur. Tanta enim tunc per or-  
bem Pestis uigebat, ut rerum commer-  
cia cessarent, atq; nefasti uidiq; dies age-  
rentur, qua lue plus quam dimidiū mor-  
talium occubuisse, existimatum est. Post  
conuentum igitur Benfeldiæ apud Alfa-  
ras, à uicinis nonnullis Principibus, ur-  
bibus atq; regulis celebratum, ubi quæ-  
stio ea, de Iudæis è medio tollendis, uen-  
tilata fuerat, cum expectatus à plebe e-  
uentus non continuò sequeretur: Argen-  
tinæ, Basileæ, alibiq; tumultuum occa-  
sionem præbuit. Apud Argétinenses qui-  
dem ea res Reipublicæ mutandæ occa-

Iudæi pulsi  
& suppli-  
cio affecti.

sionem dedit. Basileæ autem populus  
commotus & ad prætorium effusus, pri-  
mores coegit, Hebræos ad ignes ro-  
gosq; rapere, aliosque omnes in futu-  
rū excludere. Atq; ut eorū cōuersatio in  
alijs Germaniæ, Italiæ, Hispaniæ, urbibus  
nimis frequens est: ita nobis meritò ab-  
ominabile, tam contumeliosæ in Serua-  
torem nostrum genti, locum scholamq;  
dari, adeò ut omnis eò commeandi fa-  
cultas ijs prorsus denegata sit. Verùm  
quanquam ista seditione ducentorum  
annorum exilio Iudei omnes proscripti  
essen, reperio tamen id seruatum fuisse  
neutiq. Præter enim inferiùs signata, se-  
pulchrale saxum repertum est, Rebec-  
cæ cuidam, filiæ R. sancti Samuelis Leui-  
tæ, statutum, anno minoris numeri 135,  
qui cū anno Messiæ 1375 congruit. Moy-  
seam item Iudæam anno 1390 Hermeli-  
nam incoluisse domum, instrumentorū  
testimonio didici. Ijs igitur ( ut dictum )  
deletis, dissipata quoq; sunt eorum Epí-  
raphia, erectis ad capita saxis inscribi so-  
lita. Saxa disiecta in uarios ædificandi u-  
sus trāslata sunt, permultis ( ut id hodie  
adhuc euident ) contegendo ei muro,  
quā

qui interioris fossæ labrum ambit, seruétibus. Quædā nostro tempore, integra adhuc eruta sunt, è quibus sequentia cum interpretationibus suis adjice-re lubuit. Primum anno 1545 inuētum, D. Theodorus Zuingerus in Io. Lucæ I-selij priuigni horto, memoriae causa erigi curauit, alterum in Dominicorum cænobio spectatur, tertium in lapicidæ officina quondam offendì,

וזחנן הזאת

אשר שמתו

מצוננה בראש

הוקן ר' אליקים ב'

יוסף נזקבר לחיל

המוצע של פסח יו'

ה' א'ח' לפרט מנוה

בנ' עדן עם שאר

צדיק' עו' א' א' א' ס'

Id est

Lapis iste positus est ad caput senis Rabbi Elia-kim, filij R. Joseph, sepulti in hebdomada solennita-tis Paschæ \* die quinta anni 95, secundum nume-rum minorem. Quies eius sit in horto uoluptatis,

\* i. dicitur Ios.

cum cæteris iustis cui perennis. Amen,

Amen, Amen, Sælah.

קוננו מלהוננות ומקנני,  
איש אמונים תמים נתן פטו  
בשמה נוליגם בוטוי השקם  
וחלק בסבר פנים לא  
קפץ ידו מעשות עדקה לשוואל  
ממנו ומתחננים ר' שמואל בר'  
יוספ היה אחד מראש חמדינו  
והקעינט כי נר כחכד עם  
גדולים וקטנים ונכבד ביום ב' ד'  
במיון פ' לפרט משכני יהא ב' כ' ב'  
רבעו בין העליונים א' א' ס'

*Plangite lamentatrices & lamentatores, hono-  
rabilem & munificum uirum, ueracem & inte-  
grum, qui dedit bucellam suam hilari corde, & pa-  
peri potum p<sup>ro</sup>ductus, ambulauitq<sup>ue</sup> in synceritate fa-  
ciei, nec subduxit manum suam a largiendis elemo-  
synis petenti ab eo & precantibus : Rabbi Samuel,  
filius Rabbi Joseph, qui fuit unus ex capitibus pro-  
uinciae & prefectis : ui pote lumen pietatis magnis  
& paruis. Sepultus est die secundo, quarta mensis  
Siwan, anno 80, iuxta suppurationem minorem. Ha-  
bitatio eius sit in gloria, & accubitus eius in-  
ter superos. Amen, Amen,  
Selah.*

צ'וֹן הַלְּוָאֶשׁ ר' יִזְחָק  
 ב' ר' בְּרֵכִיהָ הַעֲרָפִתִי  
 הַנְּפָטָר בְּשֵׁם טֹב וְנִכְבָּרָה  
 יוֹם ד' ח' בְּמִרְחָשָׂן ע' ה'  
 לְסֹרֶט נָחוֹן בָּגָז עָדוֹן עַם  
 שָׁאָר צָדִיקִי עַולְם א' א' ס'

*Lapis hic ad caput Rabbi Isaac, filij R. Barathie Galli, qui dissolutus est bono nomine, et sepultus quarto die, quinto Marhesuan, id est, Octobris, anno 78. Requies eius sit in Paradiso, cum reliquis iustis perennis aeti. Amen, A. A. Selah.*

Cum igitur Hebrei à condito mundo, supra quinques millesimū (quem plerunque omittunt) anno quo hæc scribo, trecentesimum, tricesimum septimum numerent: patet, postremum hoc Epitaphium anno salutis Christianæ 1318, intermedium biennio post, primum uero anno eius seculi tricesimo quinto, eratum fuisse.

Magnificæ huic domui, cum amplissima area, quam Opificum aulam vocant (eò quod fabri tā ferrarij quam lignarij, Magi-

Magistratus stipendio conducti, eius illic operibus inuigilant) lucus Sancto petri trinus contiguus est, planities gramineo solo prati instar undiq; uirens, tilijs elegati ordine confita, binisq; fontibus irrigua, iugerum circiter triū, æstiuo tempore amoenitate sua mirifice blandiens. Quò sit ut festis potissimum diebus, atque uespertinis horis, quibus à laboribus missio datur, tam uiri quam adolescentes eò confluant, deambulandi, saltandi, ludendi uel alijs modis corporis exercendi gratia. Ibidem etiam uiri atq; iuuones, quibus sagittas impellere nemo uolupce est, locum designatū habent, præmijs huiuslusi à magistratu propositis.

**Quercus**  
**memoranda**, **Quinetiam** Quercus illic annosissima spectatur, ex cuius uasto robore, truncis decem, singuli iustæ arboris magnitudine, non in altum eretti, sed in latum undiquaqueq; diducti, ita explicantur, ut triplici columnarum sustentaculo egeat, quarum intima series hexagonum, media octogonum, extrema sedecagonum representet, peripheria 112 gressuum, tam patulo ramorum frondiumq; tegmine, ut

ut naturæ simul & humanæ industriae spectabile opus oculis obijciat : quamquam ante pauculos annos ædilium incuria damni nonnihil acceperit. Cùm Fridericus Cæsar, Maximiliano filio archiduce Austriæ alijsq; Principibus comitatus, Anno 1473, Septembris principio, per dies sex Basileæ moraretur, atq; in cænaculo illic (ubi sæpen numero amici Principes eorūq; legati, Cane præser tim æstuante, cōuiuo excepti sunt) regalibus epulis recreareret, uniuersus eius comitatus cum Senatu Basiliensi in huius arboris umbra, discubuit. Erat enim is annus adeò feruens, ut in hisce partibus mense Iunio messis, Augusto autem vindemia ageretur, atque October reflorescentium stirpium amœnitate, uer nouum referret.

Hoc uiridario solēnis ciuium conuenitus agitur, priuilegia præleguntur, noui magistratus pronūciantur, sacramento astringuntur, cæteri ad obedientiam præstandam commone-  
fiunt.

## C A P V T X I I I.

*Parochia diui Petri collegiata, Claro-  
rum illie ciuium tu-  
muli.*

**E**Xinde ponticulus intra antiquum  
urbis pomerium ad D. Petri basili-  
cam transmittit. Hæc quoq; emi-  
nenti loco sita (undiq; enim præceps, a-  
licubi etiam per gradus in urbem de-  
scensus est) prisca ætate sola parochia fu-  
it, unico pastore contenta. Verum cum

**Parrochia** Henrico è Thunensibus comitibus, E-  
D. Petri in p[re]lato, multis piorum hominum do-  
collegiatā nationibus oblationibusq; redditibus  
**Ecclesiam** in eas opes excreuisse, uisa esset, ut plu-  
res illic diuino cultui operam impéden-  
tes, ali posse existimaret: Anno 1233 Ca-  
nonicorum Collegium instituit, ea con-  
ditione, ut Custodem illic diligēdi ius,  
maioris Basilicæ Præpositi esset. Institu-  
tionem hanc Gregorius ix Pontifex,  
diplomate 7 Idus Aprilis, pontificatus  
sui anno decimo, Viterbij prescripto,  
comprobauit.

Quod si clarorum ciuium, quorum cor-  
pora intra circumq; templum hoc sata  
sunt,

sunt, nomina, ne dicam uita, & in patriā  
merita memoranda forent, in explicabi-  
li me syluæ committerem, omniaq; an-  
nueriariorum quæ uocant uolumina  
exhaurienda essent. Hic enim tot tatiq;  
heroes sanguinis nobilitate, prisca vir-  
tute, animi fortunæc; dotibus conspi-  
cui, quorum pietate prudentia & forti-  
tudine Respublica fulta stetit, humari  
uoluerunt, quo talibi uspiam. Hic Zer-  
kindi, Rusi, Sincij, Surlij, Murarij, Seuo-  
glij, Gränenzwigij, procerumq; quam-  
plures alij, monumentis inter se co- ren-  
disse uidentur, quorum multa temporū  
iniuria obliterauit & aboleuit.

Ex Zerkindorum antiquissima Sena-  
toria gente, Nicolaus eques torquatus Nicolaus  
Zerkindus:  
prodijt, qui posteriore nobilium Basili-  
ensium dissensione floruit. Quanquam  
enim multò ante Rodolphum Habsbur-  
gium, ad imperij culmen enectū, ex me-  
ra æmulatione, duæ nobilium nocentif-  
simæ factio[n]es, Psittacorum scilicet atq;  
Stelliferorum (Alberto Argentinensi re-  
ferente) quæ Rempublicam admodum  
afflixere, intra eadem mœnia enatæ ac  
ipsius post autoritate sublatæ fuissent:

RECRU-

re cruduere tamen Alberto Cæsare noui partium studia, eius similitatis occasione, quam Albertus cū Othonē Basiliensi Episcopo gerebat, castri Homburgensis causa, in cuius acquisitione Episcopus Cæsarem preuenierat, hic uero illi regalium inuestituram largiri cessabat. Fuit hæc animorum contentio adeò acerba, ut in cruentum euasisset bellum, nisi in ipsis rudimentis, Cæsaris subita cede, extinta fuisset, anno scilicet 1308. Peperit publicæ causæ controuersia, priuatū factiosorum odium, ut cum Petrus Scaliarius eques, magnæ authoritatis uir, huc Nicolaum Zerkindum in publico aliquando adortus, uulnerasset, gliscentes istæ dissensionum scintillæ in atrocissimi tumultus flammæ eruperint, quo ciues (ut erant partium studijs distraicti) suam utranq; in clamantes factionem, armis correptis, cæde, uulneribus atque rapinis se mutuo persequuti sunt, id qd in historijs luculentius exposui. Obiit Zerkindus salutis anno 1344.

E' Russorum prosapia, quanquam uiri multi graues & in Republica laudabiliter uerlati, ante & post miserabilem Vrbis

bis ruinam, prognati sint, inter eos tamē Hartmannus, Iohannes & Petrus equestris zona decorati heroes, maximē claruē, qui omnes difficillimis & periculisimis temporibus supremos tenuēre fasces, atque præclaris exemplis fidem suā patti & cōprobauēre. Primus quidē Anno 1374 summo Magistratu functus est, quo Iohānes Basil. episcopus, è Comitibus Vienensibus stirpe Burgundica ortus, ciuitatem obsedit & atroci bello affixit, adscito Leopoldo Austriae duce: cui exacto bello, cum ad refunderet sumptus soluendo non esset, minorem Basileā pignoris loco dare coactus est. Bello hoc Ferreti, Beaufortij, Purrentruij oppida, cum castris uillisq; pluribus flammis uastata sunt. Alterum uero Io  
 hannem, qui anno 1444 ciuibus consilio præfuit, Basiliensem Fabium haud immerito appellauerim, utpote qui bello Armeniaco, urbē infinitis Gallorum obequitantium copijs in summū discrimen adductam, ab imminenti interitu, non sine numinis præsidio, vindicauit. Cū enim ciues præcipiti consilio, Heluetijs, qui ijs suppetias laturi aduenerat,

Hartmannus Rot.

Iohannes Rot.

L &amp; non

& non procul ab urbe equitatu Gallico  
obruti cædebantur, opitulari decreuif-  
sent, prudentiumq; matura consilia re-  
pudiassent, proinde urbe iam egressi, ho-  
stium copias in infidijs collocatas, qui-  
bus ciues urbe exclusuri erant, non ani-  
maduertiffent, quod tamen cordatores  
futurum prædixerant: Iohánes Rot, eo-  
rum sectator potius quam ductor, accla-  
mantes urbis excubitores, redditumque  
eorum obtestantes, exaudiens, non nisi  
grauissima interminatione, coniugum  
luauissimorumq; pignorum ineuitabili  
interitu ob oculos posito, ab incœpto re-  
uocauit, omnium uita fortunisque ser-  
uatis.

Petrus Ru-  
sus

Petrus uero Rot Consul, Hierosolymi-  
tanus eques, cruētissimo & funesto bel-  
lo, quod magni Fœderis socij, contra Ca-  
rolum Burgundionum & Belgarum po-  
tentissimum Principem gessere, in Gran-  
dissonensi primū pugna, 5 Non. Martij,  
Anno 1476 commissa, octingentoru[m]  
Basilienſu[m] ductor fuit: in Moratenſi ue-  
ro clade, decimo Kal. Iulij post insequu-  
ta, 2000 peditum & 100 equitum fœli-  
cissimum Imperatorem egit: digni pro-  
fe & dō

fecto omnes, quorū uirtus posteris com-  
mendetur.

Sed & è Sincijs, quorum in dextro sa- Sincijs  
erario monumentum non inornatum  
existit, multi Patrum ordini ascripti, etiā  
ante miserabiles Rauracorū ruinas, pro-  
diere, qualis VVernherus fuit, & hic tu-  
mulati Cōradus atq; Burcardus, cum Be-  
la è Monachis coniuge, alijque multi.  
Eodem sacello, sicut & opposito Mone-  
tarij suæ liberalitatis uestigia reliquère,  
sic dicti, quòd olim, dum Episcopis ad-  
huc auri argentiisque signandi ius e~~st~~et, e-  
ius Officinæ præfecti ac eorum etiā ua-  
salli fuissent. Habuit familia ea, q̄ diuer-  
sa pōst acquisiuit nomina, ut alijs Surlij, Monetarij  
alijs Ermanni dicerentur, notabiles ali- qui & Sur-  
quot uiros, alijs quoq; Reipub. muneri- lij.  
bus nobilitatos, his in tumulis clausos,  
ut donationum libri testantur. Quan-  
quam autem eorum nonnulli ante 300  
annos in Senatū cooptati uixerint: quo-  
niam tamen uetustiora illa intercidere,  
ideo recentiores Tribunitiæ dignitatis  
uiri, Iohannes, Vuernherus, Thomas &  
Laurētins, non reticendi sunt, annis sci-  
licet 1438, 1450, 1474, 1502: quinetiā Pe-

trus equestri baltheo inter patritios decorū, Anno 1455 ē primis Academiæ Senatus nomine deputatis, unus.

Ante sinistri lateris facellum à Grunen zuigis (quos ab insignibus Apreoli nominarūt) ut uidetur restauratum, in templum prodeunti, ingenuorū Murrariorum busta sunt quatuor, ubi Dominicum quondam conditorum erat, ab ipsis ere c̄tum, unum Henrici patris, uiri multis annis in Republica uersati, atque gentis huius illustratoris, reliqua singulorum eius filiorum, Iohannis, Nicolai atq; Henrici, quorū primus Cantor Sanctopetrinus fuit, cæteri Octemuirūm ordine (sic enim Patritios appellabant, à numero quotannis in Senatum allecto) Politicis negotijs adhibiti. Nicolaus tamen ob multifaria belli pacisq; præclarè obita munia, suo tempore uerè magnus fuit. Ter enim ab año 1414 Tribunitia suffragia meruit, graues itē aliquot legationes obiit, inter quas ea fuit, qua Basilienses alijs urbibus atq; magnatibus iuncti, Iohannem 23 Pontificem ex Constantiensi synodo, fugituum, Friderico Austriaco eorum fœderato, non cōscio

scio solum sed & receptatore, cum per Hercynios saltus Friburgum atq; Bris-  
facum elapsus esset, medijs quibusdam  
Patribus reconciliatum, reducere tenta-  
runt, sed frustra. Alia dein, qua ijdem, ob  
introductum officiorum Magistratum,  
uulgo des Ammeisterthums, contrà Episco-  
pi uoluntatē, corām eodē Cæsare causam  
dicere coacti sunt. Decessit anno 1433.

Pone situs Io. Bernhardus Seeuogli- Seeuoglii.  
us, ante columnam à maioribus eius ere-  
ctam, huius nominis postremus, anno  
1471 humanis exemptus. Patruus eius  
fuit Amandus, is qui Basiliensiū ruraliū  
ductor, atrocissimo illo cōflictu Sanjaco-  
beo, quo Heluetij ab Arniaciōrū copi-  
js obruti sunt, p patria fortiter occubuit.

In adyti celiore loco uisitur, Hugo-  
nis Archiepiscopi Rotomagensis sepul-  
chrum, ingenti marmore clausum, qui  
tempore generalis Concilij, 19 Augusti,  
Anno 1434, extra suos lares obiit. A la-  
tere Iohannes Ner, decretorum Do-  
ctor, Officialis primū, dein pr̄positus  
eius templi, aenea effigie repræsentatus  
est, qui suo tempore magna inter cleri-  
cos authoritate floruit, collegiumque

Hugo Ar-  
chiepis-  
copus Roto-  
magensis.

Iohannes  
Ner.

multis beneficijs affecit auxitq; , Anno  
1450 manibus associatus. In Circuitu lo-  
culi hi rythmi leguntur:

*Suscipe deuotum Rex clemens hunc tibi notum,  
Poenas euadat, ad cælica gaudia uadat.*

*Dormiat in Christo, loculo qui clauditur isto.*

Commone facit me is aliorum quoq;  
eius Ordinis uirorum, qualis Iacobus  
fuit Richerus Pontificalis atq; Cæsar ei  
palatij comes, Nicolaus item Briefe-  
rus, legum Licentiatus, uir pius, & anti-  
quitatis studiofissimus , Gymnasij ali-  
quores Rector, cuius siue pater, siue a-  
ius Iohannes, in Nanceiana pugna, Ca-  
roli Burgundionum ducis nece memo-  
rabilis, Basilielium signifer fuit. Eiusdem  
Collegij Vuolphgangus Vuissenbur-  
gius Theologiæ Doctor extitit, è pri-  
mis unus, quorum opera purior reli-  
gio hic refloruit, D. Oecolampadij fide-  
lis & constans Symmystes . In Nosoco-  
mio primùm anno 1524, dein minoris ur-  
bis parochia, postremò apud S. Petrum  
Christum fideliter docuit. Demum ob-  
uocis defectum, rude donatus, post mul-  
ta in Academiam & Ecclesiā beneficia,  
œtuagenarius 7 Idus Martij , anno 1575  
obdor-

Nicolaus  
Brieferius.

Vuolph.  
Vuissen-  
burg.

obdormiuit. Longum esset Paulum Constantimum Phrygionē Selestadiensem, Adamum Bodensteinum Carolostadium, Theologiæ Doctores, Iohannem item Junium Bischoffcellensem, puritatis doctrinæ assertorem strenuū, mystas atque pastores omnes, Marcum porrè Hopperum legum Doctorem ac profesorem, aliosq; huius soli uiros celebres in uitam reuocare.

Ante Dominicam mensam Iacobi Rū Jacobus dini tumulus est, uiri multis animi & for Rudinus. tunæ dotibus cumulatissimi. Hic utroq; parente ciue Bas. prima pueritia orbatus, cognatorum pietate domi, foris Nicolai Deggillei Burgundi familiaritate, liberaliter educatus, tenuibus initijs, ferro, ære facto infectoq; salsamentis, oryza, melle, equis negotiari cœpit, proprie ubique Mercurio, hoc est Deo Opt. Max. omnium bonorum datore & conservatore. Trapeziticam uiginti annis priuatam, S.P.Q. Basil. iubente uolente, publicam per unum & uiginti annos, bona fide, felici successu exercuit. Ab anno salutis 1533, quo primum in Senatum adlectus est, per omnes honorum gra-

dus, grauissimis interim legationibus,  
 & inter eas ad Henricum 11 Gallorum  
 regem ternis , ex dignitate uotoque  
 Reipublicae, susceptis confectisque, ad  
 summum plebeij Magistratus fastigiū, año  
 1559 electus est. Quo oclies administrato,  
 ut post multa in Politiā merita, Aca-  
 demiam quoq; sibi deuinciret, liberalis  
 stipendij institutione, paulò ante exces-  
 sum, rem literariam promouere uoluit.  
**Cætera sequēs Epitaphium continet.**

CHRISTO s.

IACOBVM RVDINVM TRIB.  
 PLEBIS BASIL.  
 CVI PRÆTER CÆTERA ILLUD  
 ETIAM NVMINIS BENIG.  
 CONTIGIT,  
 VT EX IV VXORIB. PATER  
 ESSET XII, AVVS XLV,  
 PROAVVS XXVII.  
 LIB. V. NEP. XXIV. PRONEP. XXIII  
 SVPERSTITES,  
 P. C. L. P. S. L.  
 ANNO SAL. M. D. LXXIII.  
 ÆT. LXXII.  
 DIE NOVEMB. XXIV.

QVOD

QVOD VIRVM VERE MAGNUM

LAPIS QVEM S. V. F. C.

NON CAPERET,

IN AETERNAE SPEM RESVRRECT.

SVB HOC SAXO COND.

Circa saxum hi uerfus leguntur:

*Clarus erat, quia magnus, erit quoq; clarior olim:*

*Aemula si magni sit pia posteritas.*

Ludouicus uero Carinus, cuius memoria ibidem cernitur, Medicus fuit sin-  
gulari candore humanitateq; præditus,  
Fuggerorum quondam præceptor, mul-  
tis magnatibus familiaris ac uirtutum  
causa acceptissimus. Qui ut se Basiliensibus  
gratum declararet, tribus bonę in-  
dolis adolescentibus liberalia stipendia  
cōstituit: quo nomine lege gratitudinis  
posteritati meritò cōmendandus. Mul-  
tū enim illis debemus, qui hoc tam im-  
probo & auaro seculo, stipendia insti-  
tuunt, hoc est, felicia ingenia, quorum  
conatibus alioquin fortunae tenuitas  
obstareret, ad uerum cultū capessendum  
incitant, promouent atque fouent: quip-  
pe cum in tanto literarū contemptu plu-  
rimū intersit Reipublicæ, uiros do-  
ctos, sapientes atq; peritos plantare, qui

Ludouicus •  
Carinus.

eruditione & intelligentia eam fulcire & illustrare queant. Conditorum eius hisce metris consignatum est.

*Marmore contigitur Ludouicus in hocce Carinus,*

*Fama replet terras, spiritus astra colit.*

*Heroum generosorum generosa propago,*

*Cui natale solum clara Lucerna dedit.*

*Nec uirtus, nec honor, nec opes, nec docta Minerua*

*Deerat ei, Medicus deniq; summus erat.*

*Mille notabantur, quingenti, terq; uiginti*

*Tresq; ter, hac quando postus in æde fuit.*

*Tum cum mense suo Ianus qui primus in anno est,*

*Conficeret septem forte diesq; decem.*

*Hec igitur quicunq; legis uenerabilis hospes,*

*Dic celebris molliter recubent ossa uiri.*

Sed & Andreas Petri Italus, quāquam recentior, non tamen ingratior hospes fuit, qui cum in curandis uarij generis morbis, singulari facultate dexteritateque, experientissimis etiam Medicis spicienda, prædictus fuisset: ut ei arti promouendæ, unde suas opes consequens erat, aliquid conferret, auditorium Medicum Academiæ Basiliensis (cuius fauore, religionis causa exul hic egerat) ample stipendio auxit, uolens, ut qui discipulus eo fruere, Doctor tandem egenis

Andreas  
Petri.

nis ope & consilio subleuandis deuin-  
ctus esset. Obiit postridie natalis Domi-  
ni, anno 1575. Inscriptio eius talis est.

D. I. S.

QVI ROMA ALTRICE, ITALIA

GENITRICE, SPONTE

EXCEDERE,

QVAM CHRISTVM NEGARE

MALVIT:

CVI BLANDISS. PVRGATIONVM

ASSIDVITATE

FEBRES, CATAKKHI, PODAGRÆ,

ISCHIADES, CHIRONIA

GALLICAQ. CED. VLCERA:

QVEM ANNIS FESSVM, SED  
MENTE AC SENSVB.

INTEGRVM,

SI FORTE INEXPECTATA,

SALTIM MORS

EXOPTANDA,

INTER COMPLEXVS AMICISS.

PLACIDE<sup>1</sup> INTERCEPIT,

ANDREAS PETRI HEIC

PERVSINV.

ERGA PAUPERES VIVENS

SIMVL ATQ. MORIENS

LIBERALISSL.

Te

Iacobus Lo sius. Te uero Iacobe Losi ciuis optime, intactum præteruolare, haud foret æquū, qui fortunis tuis ea moderatione usus es, quæ animum minimè abiectum atq; uirtutis exortem decet. Quibus enim alij aridè nimis utuntur, ut exinde succi nihil ad alios dimanare possit, in summa sæpe affluentia domi forisq; cuncta tenuia & emendicata quasi habentes: alij in uoluptatum socios, adulatores, mimos, cōraminatosq; homines effundūt, eas hic ad pauperum subfidium, uirtutis exercitationem, piaq; iuuentutis studia promouenda contulit. Ac inter cætera pietatis & beneficentiæ specimina non tantū honesto stipendio rem literariam iuuasse, quam antedictis imitādi exemplum præbuisse, uideri potest.

Sacellum exterius ad mœnia diuo Nicolao dicatum, Farnouuerorum opus esse existimo, qui ab institorij uici domo, die zum haupt dicti sunt. Inde Offenburgiorum sepulturæ cessit, quorum insignia illic suspensa sunt. Cōradus enim zum haupt prudens & clarus ciuis Annam Offenburgiam uxorem habuit, cuius frater Amandus fuit, illic recubans, gentis suæ

suæ illustrator, Reipublicæq; annis 40  
 circiter singulare Ornamentum. Tribuū  
 enim summo Magistratu ab anno 1415 Offenbur-  
 aliquoties defunctus est. Dein inter Pa- gij.  
 tritios ascriptus, cum Vrbis nomine, u-  
 nā cum alijs equestris ordinis uiris, Si-  
 gismundum Cæsarem pro imperiali co-  
 rona in Italiam profectum, Romam usq;  
 affectatus fuisset, baltheo militari in pō-  
 te Tyberino decoratus, rediit, Anno  
 1433: Imperatoris octo pōst continuis  
 mensibus Concilij causa Basileæ com-  
 morantis, singulari gratia usus. Ob pru-  
 dentiam demum atq; fortitudinem tot  
 tantisq; res publici boni causa admini-  
 strauit, toties Imperatoris multorumq;  
 Principum aulas, uarijs legationibus  
 perfunctus, inuisit, ut ea breuem narra-  
 tionem haud patiantur. Obiit 1458.

Eandem & posteri eius suis funeribus  
 humum delegerunt, Petrus sc. filius, pri-  
 mus qui post acquisitum Varnspergij ca-  
 strum, S.P.Q. Basil. nomine præfecturam  
 eam natus est. Huius item filius, paren-  
 ti ~~ουσινη~~, qui anno 1488 eo bello Ba-  
 siliensium ductor fuit, quo Fridericus Im-  
 perij uiribus contractis, Flandriam in-  
 gressus,

gressus, Maximilianum filium è custodia asseruit, rebellibus multatis. Idem mox ab inito Heluetico fædere, cui conciliando strenuam impenderat operam, anno scilicet 1502, supremos fasces assequutus est, primus eorum, qui citra equestris balthei ornatū hunc dignitatis gradum cōscēdēre. Quo onere seu honore septies renouato, tandem anno quarto, post Francisci filij, viri Cōfularis funus, salutis 1514, magno ciuium luctu naturæ debitum persoluit.

Ioan. Frobenius. In opposito exteriùs septo, Io. Frobenij Hamelburgensis Franci, ciuis & Chalcographi suo tempore illustris, marmorea extat Epigraphe, anno 1527 paralyssi, magno literatorum suiq; hospitis Rorodami dolore, extincti, de quo ipse testatus est, inquiens: Ob huius mortem decebat omnes qui bonas literas coluit, pullatos lacrymas & luctum sumere, apio flosculisq; sepulchrum ornare, lymphas aspergere, odores adolere, si quid talibus officijs proficeretur. Cui pro in hoc trilingui Epitaphio parentare ualuit.

## D. OPT. MAX.

זאת המערכה הועבה  
לזכר החשוב יוחנן  
פרונטאניום הדומס באול  
שנפטר בשם טוב נקבר  
פה ניזם ב' לה כיסליו  
בשנת המשת אלפים  
רעהם מנוריאת עולם

*Ω ιωάννης παθεῖται τυπόγραφο Φρέβενιο,  
σύστεν' αλλώ πλέον σφείλει τῶν λόγων σπελάσματα.  
Μήνυερδον θρηνεῖται; γάρ γαρ καὶ τονέει τονεύσωρ ἀεὶ,  
Τῇ τε ψυχῇ, τῇ τε φυμῇ, τοῖς τε βίβλων λεγόμανοις.*

Arida Iohannis lapis hic tegit ossa Frobeni,  
Orbe uiret toto nescia Fama mori.

Moribus hanc niueis meruit studijsq; iuuandis,  
Quæ nunc moesta iacent, orba parente suo.

Rettulit, ornauit veterum monumenta Sophorum,  
Arte, manu, curis, ære, fauore, fide.

Huic uitam in cœlis date numina sancta perenne,  
Per nos in terris fama perennis erit.

## PARENTI CHARISS.

MOESTA LIBERORVM PIETAS,

AD DEFUNCTI MEM.

LVCTVSQ. SVI SOLATIVM,

POSVIT.

AN. M. D. XXVII. MEN. OCTOB.

Sed

Nic. Episco Sed & genero eius Nicolao Episco-  
pius. pio, typographo celeberrimo exactissi-  
moq; marmorea ibidem erecta est tabu-  
la, cuius officina quoq; graphicō prælo-  
rum labore, tot præclara uolumina, sa-  
cra, profana, simul Pelasga, Latina, pe-  
nitit, ut isthæc tam utilis industria, quæ li-  
terarum opes toti mundo impariens ab  
interitu vindicat, & quantum fieri po-  
test æternas facit, meritò laudibus or-  
nanda sit. Epigraphe sepulchralis eius-  
modi est,

CHRISTO s.

NICOLAO EPISCOPIO SEBVSIANO,

VIRO OPT. TYPOGRAPHO

CLARISSIMO,

ET IVSTINÆ FROBENIÆ IO. Fa.

MATRONÆ HONESTISS.

CVM PER SEPTEM LVSTRA

IN SACROSANTO CONIVGIO

FORTVNATI VIXISSENT,

PIETATE DEVVM, ÆQVITATE

HOMINES SIBI CONCILIASSENT

MORTAL. VINCVLIS EXOLVTIS

LIBERI SVPERSTITES,

PAR. DESIDERATISS.

M. C. L. P.

OBIIIT

OBIIT PATER EX ATROPHIA  
ÆT. SVÆ LXIII.

NON. MART.  
MATER VERO CVM IIII LIB.  
EX PESTILENTIA,  
ÆT. SVÆ LII. V KL. OCT.  
ANNO CHRISTI  
M. D. LXIII.

Viximus undantes, Christo nunc carne soluti  
Viuimus, eternum uicturi, uiuite nati.

ΕΥΔΑΙΜΟΝΕΩΝ ΜΑΚΑΡ ΕΣΣΗ.  
Luber & filio factam inscriptionem  
subnectere.

TRINITATI  
NICOLAO EPISCOPIO, NICOLAI F.  
TYPOGRAPHO BASIL.  
VTI NOMINIS, ITA ET ARTIS,  
INDVSTRIÆ, FIDEI, ERVD.  
PATERNÆ HÆREDI:  
IN MEDIO ÆT. CVRSV MAGNO  
CVM REIP. LIT. INCQM.  
BONORVM OMNIVM CVM LVCTV  
HUMANIS EXEMPTO,  
MARITO INCOMPARABILI:  
ELISABETHA BAVARA UXOR  
INFELICISS.

M ANI-

ANIMÆ SVÆ DIMIDIO,  
EXTREMVM HOCCE CONIVG. FI  
ET OBSERVANTIAE MVNVS  
CONTRA' VOTVM  
PERSOLVIT.

MIGRAVIT V VITÆ SEPTENARI<sup>O</sup>  
ANNO SAL. M. D. LXVI  
III. KL. IAN.  
H. M. H. S.

In eadem urbis parte, antiqua attin-  
git mœnia, D. Michaelis facellum, mul-  
tis quondam peregrinationibus frequ-  
tatum, cum adiuncto Xenodochio. Do-  
mus ea à Monachis quondam habitata  
fuit, familia apud Basilienses ante 300  
annos, Episcopis chara atq; fideli, quæ  
multos in Republica primates genuit.  
Clientelæ tum illis multæ, possessio-  
nesq; non mediocres. Namq; prope ur-  
bem Mönchensteinij arcem coluere, for-  
san & condidere, priscorū Phirretensi-  
um Comitum feudum, quod Thurin-  
gus tandem Monachus, ciuitati ueniu-  
dedit. Non procul abinde in monte Bla-  
vio, Mönchsbergij castri ruinæ uifun-  
tur, quod terræmotus Raudici tempore  
conci-

Monacho-  
rum nobi-  
liss. familia.

concidisse uolunt. Conradus Monachus Mönchsbergius eques, anno 1311 ordinis Senatorij fuit. Quinetiam arcem Löwenberg, unde postremi sibi nomen uenadicarūt, Thuringus præmemoratus, Ferdinandi Cæsaris cōfensu, anno 1526 monasterio Lücelæ, 1300 aureis uenum dedit. Fuere qui se Stettenbergenses, Rosenbergenses item Monachos scripserunt.

Ex hac Monachorum gente illū prodijisse uero consentaneum est, quem propter rerum fortiter gestarum multitudinem, è præstantissimis totius Orbis equitibus unum suo tépole fuisse, Fros- fardus libro 1, cap. 29 historiæ Gallicæ te locus, statut: narrans eum à Philippo Francorum rege, cum tribus alijs Anglicani exercitus, explorandā causa delectum, sententiamq; nominatim (tacentibus cæteris locoq; quodammodo cedentibus) rogatum, prudenter admodum de prælio in diem posterum differendo monuisse. Cuius consilio posteaquam uel contra Philippi uoluntatem, quidam minime obtemperassent: sequuta est insignis illa ad Cresciacū clades, qua anno Chri-

sti 1346, florentissimè & maximè Gallo-  
rum copiæ, uincentibus Anglis, magna  
ex parte absumptræ sunt, atq; inter reli-  
quos Iohannes etiam Bohemię rex, Gal-  
lorum socius, cum exercitus sui (quē ex  
Germanis Bohemisq; collectum habe-  
bat) primarijs fortissimè dimicans, occu-  
buit. Quare cūm idem auctor Monachū  
hunc in comitatu Bohemi fuisse dixerit  
testetur, & ex Monachorum Basili. gente  
quosdam ibidem interiisse, Albertus Ar-  
gentinensis capite 53 tradat: non uide-  
bor fortè sine causa suspicari, uiri huius  
quem excusa exemplaria le Moyne de Bas-  
le appellant, omen, unius literæ adie-  
ctione corruptum, & Moyne de Basle, id est  
Monachus Basiliensis, patria scilicet, ab  
auctore fuisse scriptum.

Verūm ut ad id, quod digressioni hu-  
ic ansam dedit, redeam, his in ædibus Al-  
berto Cæsari cedem intentatam fuisse,  
qua à propinquis non multò pōst per-  
emptus est, annales tradunt. Cum enim  
anno 1307 ibi diuertisset, referunt Otho-  
nem Episcopum Basili. cui regalium in-  
uestituram eosq; conferre tardauerat,  
confodiendi proposito eum adiisse, si  
non

non ex uoto responsum ferrer: atq; cruentos hosce conatus, hominis Burgudi cum Germano Cæsare negatum linguæ commercium, tantum impedijisse. Cæsare namque proceri huius scholastici adventus causam percontante: præfulis in terpretem Hugonem Fürnauium, corda rum & ex patritijs senatorij ordinis ui- rum, irato suo Principi, de uerbis Regijs confessim quærenti, dissimulato scō- mate, respondisse: Regiam maiestatem, petitioni eius postera luce obsecundatu ram, atq; eo responso irati animi flamas sedasse.

Nostra ætate Xenodochium illic mi- nus est, Ger. *Die Ellendherberg*, superiore se- culo à Conrado zum haupt opulentissi- mo spectat eq; authoritatis ciue, pro ege- nis hospitibus, uotiuas præsertim pere- grinationes facientibus, institutum, ita ut tum der Bilgern herberg uulgò dicere- tur. Hodie magistratus moderatione, o- mnis sexus ætatisq; pauperes, stipem a- lioquin in plateis mendicaturi, hic exci- piuntur, hac lege. Quoniā per plateas o- stiatim mendicare, solis leprosis exce- ptis, iustas ob causas uetitum est: ideò

Hugo Für-  
nauius di-  
bus zur  
Sonnen.

M 3 egeni

egeni omnes hāc iterā faciētes, ante portā  
tas in domunculis eius rei gratia factis,  
expectare iubētur, donec sub horā pran-  
dij cāneue (sit enim id quotidie bis) qui  
bus hoc mā datum, eos simul hunc in lo-  
cum deducturi, adueniant. Mane acce-  
dentibus prādium datur, uesperi autem  
præstolantes per noctem fouentur, ac  
pro cuiusuis necessitate reficiunt. Cibo  
sum pro cui libet capiti (ne infantib. qui-  
dē exceptis) nūmi aliquot dantur, & per  
prefectos singuli ad eas portas, per quas  
iter facere cupiunt, deducuntur. In opū  
uerō ciuium in quiliñorumq; liberis om-  
nibus, & quotquot staruta hora eō con-  
uolant, magnū indies panis copia distri-  
buitur.

## C A P V T X I I I I I

*Dominicanorum monasterium, monumen-  
taq; eius.*

**E**xtra antiquā illic urbis pomeria, u-  
bi suburbij Crucis initium, Domi-  
nicanorum (quos notiore nomine  
Prædicatores appellant) cœnobium spa-  
tiolum & amplum situm est, non quidē  
nimis

nimis uerustum (ordo enim is anno 1225 pontificium calculū primū consequens est) uerū eleganti templo pulcher ximisq; hortis ornatum. Huius profisionis uiri, circa annum 1230 & hic & in per multis alijs Germaniae urbibus, nūdificare cōperunt, successu admodum secundo. Aream pro eius sectā fratribus Henricus à Vuesthofen, qui primum huius religiones antesignanū hic egit, à Henrico, ē Thunensib. Comitibus Præfule, imperrauit, qui eorum institutum sibi necessarium dicens, in pastoralis suæ sollicitudinis partem eos aduocare uoluit, ut Diploma eis concessum habet.

Bertholdus uerd è Comitibus Phirrensisbus episcopus, sub dato 7 Kal. Maij anno 1249, potestate ijs fecit, suo loco in hæreticos, incātarores, magos, lamias & huiuscē fecis alios, inquirendi. Obijt primus eorum Prior, Anno 1252, inter Ordinis Dominicani sanctos, qui post obitum miraculis fulsere, numeratus. Albertus Magnus Laugingenis, Prædicatorum per Germaniam Magister (quā dignitatē anno 1254, cum VVormatiæ

Henricus  
a Vuestho-  
fen,

M 4 huius

huius ordinis monachi conuentum age-  
rent, nactus est) Hérico Marpachio Prio-  
re, in ordine nono, templum eorum cum  
altaribus quinq; consecrauit. Obiit po-  
stea Coloniæ, ætatis anno 80, illic cum  
suis tumulatus. Conuentus suos ali-  
quoties hic egerunt, huius professionis  
per Germaniam asseclæ, scilicet salutis  
anno 1272, 1302, 1323, 33, 46, 77, 1407, 53, 65,  
73 & 1508. Inter quos penultimus Gene-  
ralis fuit, ex omnium nationum mona-  
sterijs collectus, quo ingens huius sectæ  
numerus conuenit, nō sine maximo po-  
puli concursu, pontificalibus indulgen-  
tijs eò allecti.

Achilles de  
Altschuis  
ler.

Habuit Conobium hoc Priorem ordi-  
ne quintum, Achillé de Altschuiler pre-  
dicatorem ut tum temporis loqueban-  
tur famosum, circa annum 1268. Cum em̄  
Pontifex Romanus atq; Carolus Ande-  
gauensis ( quem papa Siciliæ & Neapo-  
lis regem fecerat, Hierosolymitani quo-  
que regni iura usurpans ) ob capitis sup-  
plicium de Conradino Sueviæ ( cui ea  
debebantur regna ) & Friderico Austriæ  
ducibus, indignissimè sumptū, magna tū  
apud Germanos inuidia laboraret: illi  
autem

autem contra Ægyptios Christianis in terra sancta uim facientibus, horum opere implorarēt: assiduis ille cōcioibus urbis circumiacentisq; regionis nobiles ( eorum enim primæ authoritatis aliquot heroes Basileæ degebant) exciuit, ut suo dolori Christiani orbis causam præferrent, inque militiā transmarinā abirent.

Sed nec vulgaris eloquentiæ fuit Iohannes Mulbergius, eiusdem sodalitiij consors. Is ætate adultior apud minorē Basileam literarū omnium expers, ueteramētarij tutoris artem exercuerat: occulto postea motu ductus, ut primaliterarum elementa disceret, puerorum cœtui sese miscuit, ac singulare eorū desiderio intra pauculos annos tātūm profecit, ut hunc tandem ordinem professus, doctrina dicendiq; facultate æquallum suorū nulli cesserit. Hic anno 1400 contra Lolhardorum atque Beginarum sectam, qui se de Euangelica perfectione nominabant, longo tempore inoletam, qui domos etiam supra uiginti Basileæ acquisuerant, foribus Cruce insignibus, adeò declamauit, ut Episcopales contra eius generis homines processus atque

M 5 fulmi-

fulmina obtineret. Contendebat enim, eum uiuendi modum improbum atque illicitum esse, nec decere eos mendicare, habitu item à cæteris mortalibus diverso, sub religionis specie uti, cum eorum uitę genus ab Ecclesia non esset cōprobatur, & quotquot altari nō seruirerūt, manuum labore uictum sibi comparare tenererūt. Tantum igitur abesse, ut spontaneæ paupertatis seu mendicitatis causa, cæteris laicis perfectiores & uitæ Christi magis conformes dici deberent, ut etiam tanquam erronei homines, à ueritate deuiiantes, & à Canonibus quoq; cōdemnati, prorsus excludendi, nec ulpiam tolerandi essent. Franciscani contraria, horum consortia tueri, ijs tanquam fratribus atq; sororibus de tertia Francisci regula, Ecclesię calculo dudum approbata, patrocinari, atq; illorum institutum, propter Christum rebus omnibus renuncians, pium, sanctum atque perfectionis Euangelicæ specimen, concionando disputandoq; asserere.

Durauit hic conflictus annis ferè continuis duodecim, ipsiq; Magistratui multū negotij fecit, ad tumultus præauendos,

dos, qui ob contrarios partium conatus nonnunquam pertimescendi erant. Tandem re diu multumq; etiam in curia Romana agitata, anno 1411 abrogatis huius farinæ hominibus, domicilia eorum partim Nosocomio magno, partim Epitcopo assignata sunt. Franciscanis autem omnibus supplex instrumentaq; domestica relicta, que ipsi, ueluti certaminis premium, in monasterium suum conuexere. Historia ad longum alibi contexta Deo fauente dabitur.

Mulbergius autem huius incendij praecipua fax, quem Sigismundus Cæsar in Reformationis formula ad Concilium Constantiense concepta, nominatim recte docuisse testatur, cum tempore scismatis ob Gregorij papæ obedientiam, clerici Basiliensis (qui in Alexandri eiusq; successoris Iohannis 23 electionem consenserat) odium sibi conflasset, quod item contra sacerdotum fornicationem, usurariosq; acris detonasset, concionandi munere priuatus, in Mulbrunnensi cœnobio Spiralis diœcesis, anno 1414 exul, 5 Nonas Decembbris naturæ concessit. De eo referunt, cum antelucana hora eius diei,

diei, quo solum ei uertendum fuerat, ante cathedralis templi maiore portam, fles genibus ad diuam Virginem nota illa cantione *Salve regina, &c.*, in clamare cœpisset, portam clausam homini tam religioso sua sponte aditum fecisse, ut ingressus deuotioni suæ satisfecerit. Quæ de re quiuis, quantum lubet, sentiat.

Vniuersalis synodi tempore, quæ generales suas congregations in hoc cœnobio initio celebrauit, Regum, Principum, Pontificum, Bohemorumq; oratores audiuit, ijsq; responsa dedit, monachis hisce præfuit, Iohannes Nider, Ilvensis, uir (ut ea dabant secula) admodū eruditus & eloquens, scriptis lucubrationibusq; suis, ubiq; celebris: Theologica enim plurima in lucem edidit. Existimatio eius inter Patres tata fuit, ut mense Octobri, Anno 1431, legatione grauissima Concilij nomine suscepta, cum Abate Mulbrunensi ad euocandos Bohemos missus fuerit. Qui cum eorum Orationibus Egræ tractatione habita, tantum effecit, ut nomine regni & Marchio natus Morauiae, quindecim oratores, magno cum comitatu Basileam appulerint,

Iohannes  
Nider.

rint, deq; religionis articulis illic propo-  
fitis, serio disputauerint. Ipse uero lega-  
tionis sue negotijs pro reducendis in Ec-  
clesiae unionem Bohemis implicatus,  
tandem Norimbergæ anno 1438 obijt.

Sub auspicijs Academicis conuentus  
hic, primum facultatis Theologicæ De-  
curionem edidit, Casparū Maner Theo- Casparus  
logiæ magistrum, anno 1474 humanis Maner.  
solutum.

Floruit ibi post aliis quidam doctus  
Monachus, Io. Conon nomine, qui suo Io. Conon.  
tempore rara linguarū cognitione pol-  
luit. Fuerat is Marci Musuri Cretenis &  
Scipionis Carteromachi Pistoriensis,  
dum Græcas literas Patauij profliteren-  
tur, auditor Basileam postea ueniens, à  
Io. Amerbachio Typographo celebri,  
qui tum D. Hieronymi opera incudi tra-  
dere cogitabat, partim ut ea in re opera  
eius ueteretur, partim etiam ut eum filijs  
suis Brunoni, & Basilio Bonifacio, præ-  
ceptorem adhiberet, receptus fuit, do-  
nec huic uitæ generi sese emancipasset.  
Hinc Beatus Rhenanus, Amerbachij  
coniunctissimus, qui Cononem etiam  
audiuerat, in interioris Cœmiterij ambi-  
tu, pro-

tu, prope suggestus ianuam, qua olim  
concionaturi in publicum prodire con-  
sueuerant, Epitaphium ei tale posuit.

ΤΟΥΣ ΑΓΑΘΟΥΣ ΚΑΙ ΘΑΝΟΝ-  
ΤΑΣ ΕΥΕΡΓΕΤΕΙΝ ΔΕΙ.

D. O. M. SACRVM.

*Asta Viator, si non molestum est lege.*

FR. IOHAN. CONONI NORIMBERGENSI,  
Theologo, Græcæ linguae callentissimo, Latinæ sci-  
entissimo, singulariꝝ; per omnem uitam integritate  
præbito, qui ꝑpe iuuandi melioreis literas, ob imma-  
turam moriem nonnihil frustratus est: BEATVS  
RHENANVS pietatis ergo, præceptoris B. M. de-  
suo fecit. Vixit annos circiter L. Ob. anno Do-  
mini D. D. D. XIII, nono Kalend. Mar-  
tii. Vale & abi in rem  
tuam.

Quanquam uero præter Ordinē pro-  
fessos, nobilium patritiorumq; multi,  
quibus Religionis eius sanctitas persua-  
sa erat, hīc humari elegerint, quales sunt  
Vorgassij, Macerellij, Vrickij alio nomi-  
ne dicti, Pfaffij, Schenckij, &c: quoniā ta-  
mē ante diuinitūs desolatā urbē præci-  
pue floruerē, idcirco calamitate ista pri-  
orū

Orum memorię perire, est & cū annalib.  
āliarū rerum in cineres abiēre: Posteri-  
orū uerò, Iconum naufragium absor-  
pſit. Supereft Burcardi Monachi de Lan-  
descron iunioris, equitis aurati, uiri con-  
fularis monumētum, 13 Kal. Decembris  
anno 1375, uita funēti, atq; prope intro-  
itū funerati. Filius is fuit Burcardi eius,  
qui anno 1325 supremos in Repub. Basi-  
liensi fasces gesſit, cuius etiam familiæ,  
uel frater fortè Conradus fuit Landscro Monachi  
niomonachus, equeſtribus itidem orna de Landes-  
mentis decorus, ab anno 1340 multo ti- kron.  
es Consul, qui Conradi Berofelsij hero-  
is (Alberto Argentinensi teſte) año 1348  
collegam egit, quando coram Carolo  
quarto Cæſare, Basilienses in fidem rece-  
pturo, s. p. Q. totius nomine, Pontificis  
Legato, p. Ludouico Bauaro tū uita fun-  
eto, tam cordatē responderunt, eos uide-  
licet nunquam fassuros, Imperatorem  
modò dictum hæreticum fuisse, aut ob-  
ſeruatā fidem censuras ecclesiasticas ip-  
ſumq; anathema meritò incurrisse: quo  
constantiae specimine nihilominus Ro-  
mani fulminis medelam, citra criminis  
confessionem, impetrarunt. At hi politi-  
cij, ſe-

ci, sequentes autem duo de eadem gente ecclesiastici, opinor etiam fratres, fuere, Conradus scilicet, qui ab anno 1393 biennio Episcopatum Basiliensem rexit, & Iohannes Episcopus Lausanensis, qui Ecclesiam Martinianam & Carthusianorum cemiterium in hac urbe sacrauit.

Vt uero hi omnes Basiliensium amantes fuere, ita Burcardus eius nominis tertius, qui tum Suntgouiae castrum Landserianum ab Austriacis pignoris loco tenebat, eorum sese infestissimum hostem declarauit, quando anno 1444, ipso conciliatore ductoreque primario, principum Austriacorum authoritate, ingentem Ar-

Burcardus de monachus Ladtus meniacorum exercitum, qui eum Borgue le Moyne nominare confuerant, contra Basileam, eiusque confederatos Helvetios, opprimendi excidendiisque consilio, excierat atque deduxerat, totius ciuitatis saluti insidiatus. Qui proin degeneris facinoris pœnam Sanjacobæa strage luit, cum post cruentum prælium inter cæsa cadauera aperta galea obequitans, & uelut extra aleam positus, ob uitioria clademque illatam, insolentia uerba spirans, à semianime Heluetio in genua erecto,

recto, lapide in faciem contorto, adeò  
Iæsus est, ut subitò equo exciderit, amis-  
soq; omni uocis usu, sequeti die expirâ-  
rit, Neoburgi sepultus. Fuisse in hac Gal-  
lorum euocatione Heluetiorum oppri-  
mendorum consilium, ex epistolis eo  
nomine ad Gallum scriptis, alijsque  
multis certò constat, ut nesciam, utrum  
Eugenij etiam Papę consilia accesserint,  
qui ad dissipandum Concilium eos ex-  
ciuisse scribitur.

Sub eodem porticu detrorsum, mo-  
numenta sunt, unum Theodorici More-  
ri patricij, pictura Crucifixi insignitum  
qui ante coiugem Dorotheam, ex Efrin  
gensibus ingenuis ductam, anno 1437  
apud Carolum 7 Galliæ regem, scutife-  
rum egit. Dein post ignota quædam, Io-  
hannis Petri, Adami patrui, Chalcoogra-  
phi alterum, cuius industriae Typogra-  
phiæ Basilienses multum debent, eò  
quod diligētia dexteritateq; sua plures  
illuc excitauerit. Inscriptio sepul-  
chralis eiusmodi  
est.

EPITOME HISTORIAE  
D. O. M.

JOHANNIS PETRI LANGENDORFENSIS, viri raris animi uirtutibus & incomparabili ingenio præditi, cui informandorum librorum ars, multas instrumentorum commoditates acceptas fert, ac Barbaræ Mellingeræ coniugis opt. suauissimæq;, nec non Francisci, Fridolini & I. Henrici liberorum in ipsis uitæ rudimentis sibi faustè parentibus infeliciter extinctorum, hic quiescunt cineres. Obiit ille 23 Kal. Maias. M. D. XI: hæc Idus Nouembris M. D. XII.

• FROBENIUS omotexu & iōmonaſpīc, pā-  
tronō B. M. ponendum curauit. M. D. XIX.

Chorū  
mortalita-  
tis.

Reliquū datus amplissimi cœmiterijs, permultis tilijs confiti, elegans pieta-  
ra decorat (qualem ferè omnia Domini-  
canorum cœnobia spectandam propo-  
nunt) uniuersi humani generis cum  
Morte (quam Apostolus τῆς αὐαρτίας ὀψό-  
νον dixit) colluctantis fragilē sortē, lon-  
ga serie repræsentās, qua lege ipsa om-  
nis sexus, ætatis & conditionis perso-  
nas auocet, deducat, uolentes nolētesq;  
sub umbras trahat, sceptraq; ligonibus  
æquet. Ei haud multò ante hæc inscri-  
ptio adiecta est.

A. O.

## A. O. C.

SEBASTIANO DOPPENSTEINO,

GASPAGO CRVGIO COSS.

BONAVENTURA A' BRVNO, IACOBUS  
RVDIO TRIBB. PL.

HVNC MORTALIS CHORVM FABVLÆ

TEMPORIS INIVRIA VITIATVM,

LVCAS GEBHARD. IODOC. PFISTER.

GEORG. SPORLINVS

HVIVS LOCI ÆDILES,

INTEGRITATI SVÆ RESTITVENDVM  
CVRAVERE.VT QVI VOCALIS PICTVRÆ DIVINA  
MONITA SECVRI AVDIVNT:

MVTÆ SALTIM POESEO MISERAB.

SPECTACVLQ,

AD SERIAM PHILOSOPHIAM

EXCITENTVR.

OPA ΤΕΛΟΣ ΜΑΚΡΟΥ ΒΙΟΥ

ΑΡΧΗΝ ΟΡΑ ΜΑΚΑΡΙΟΥ.

Quod uero maiore spectaculo dignum,  
 ipsum quondam Cœnobium Bibliotheca  
 cauarij generis librorum instructum fu-  
 it, quam Io. de Ragusio, Episcopus Argé-  
 sis, Theologus huius ordinis, quem Fe-  
 lix V papa, ob singularem eruditionem

Io. de Ra-  
gusio.

N a spe.

spectatamq; uitæ sanctimoniam, tituli S. Sixti Cardinalem creauerat, permultis Græcis codicibus chartaceaque suppellectile sua locupletauit & auxit. Hæc eo in loco malè custodita, anno 1559 D. Henrico Petri scholarcha procurante, publico Vniuersitatis armario illata fu-  
it, ubi hoc genus thesauri multò fidelius asseruatur.

**Collegium  
Sapientiz.**

Mutata religionis forma exacto que monachatu, magistratus cœnobium bo-  
næ indolis ciuum filijs destinârat, ut cū doctrinis cultiores, tum morum elegan-  
tia expolitiones redderentur, paréibus ornamento, patriæq; subsidio esse pos-  
sent: quam tamen piam liberalitatem annis aliquot post, quorundam impro-  
bitas uiolauit interueritque. Cùm e-  
nim anno salutis 1537, quidam inter eos  
præter ordinem à moderatore receptus,  
plagij latrociniijq; in duobus Gallis ado-  
lescentibus de nobili Rupefortiorum fa-  
milia, qui studiorum causa hîc egerant,  
**Arsentij sec** à Guilhelmo Arsentio Nuithone perpe-  
trati, interlocutorem proditoremq; e-  
gisset: Senatus tanti facinoris indignita-  
te commotus, contubernium hoc abro-  
gauit,

rogauit, alumnosq; in alia loca distribuit. Scelus quippe illud omnium ciuium animos tantopere exasperauerat, ut nisi Austriacę Curię apud Ensisheimum proceres, horum latronum uel receptatorum latibula, arces aliquot eorum iurisdictioi subiectas, occupassent: Basilienses atrox hoc facinus, quo urbis libertas nefariè uiolata fuerat, armis sociorumq; ope prorsus vindicare statuerant. Atque hanc ob causam Bellicesis pagi pretore, et si alienae ditionis hominem, quod tandem nauigio huic rei inseruisset, secundum priuilegiorum authoritatem, domo sua abstractum Basileamque adductum, capite multarant, id quod alibi luscuentius descriptum, fauente numine dabitur. Suburbium hoc facellum Antonianum equitumq; Iohannitarum cœnobium claudunt, de quibus cum quod afferam, non habeam, ad interiores

urbis partes gradum  
refero.

## C A P V T X V.

*Martinianæ parochiæ memoranda.*

Parochia  
Martinianæ  
n.s.

**S**Vpra Rheni pôtem in cliuo undique  
Spræterquá uersus Austrum admodù  
abrupto, parochia eminet antiquis-  
sima, ijs temporibus, quibus Francorum  
monarchæ imperârunt, Martino Turo-  
nenſi episcopo primùm ut reor sacrata,  
quanquam de primordio eius certi ni-  
hil habeatur. Constat tamen eam quin-  
gentis fermè abhinc annis, à Burchardo  
Baſil. præfule, Albanensi parochiæ subie-  
ctam fuisse, cum uniueroſo patronatus iu-  
re: adeò ut Santalbanus Prior pastorem  
eius (quem Plebanum dicere conſue-  
rant) designaret, religionisq; exercendę  
leges præliberet. Prisca tamen eius  
ſtructura antiquata, año sal. 1287, Petro  
Richensteinijs ingenuis Episcopo, ſum-  
ptuofore opere, de nouo reædificari co-  
ptam, instrumentorum testimonio didi-  
ci, quæ tamen priusquam septuaginta  
ta pôst anni præterlapsi eſſent, luctuofisi  
mo Luce die, anno 1356, una cum ceteris  
grandē ruinā paſſa eſt. Templum tamē  
mox iterum instauratum fuit, ut ſequen-  
ti an-

ti anno, 5 Kal. Decembris, altaria quinq;  
 à Petro Othonensi Episcopo, Basiliensis  
 suffraganeo, dedicata fuerint. Chori ue-  
 rò reparatio, qui cum subiecto colle to-  
 tus conciderat, maioris fuit molis: quip-  
 pe cùm abruptus ea ex parte cliuus, no-  
 uo opere, firmissimisq; pilis suffulcien-  
 dus fuerit, ut anno demum 1398 Iohan-  
 nes Monachus, Lausanensis Episcopus,  
 eam sacræ ædis partem cum ara princi-  
 pe, lustricis ceremonijs, religionis exer-  
 citio dicārit. Iterati sunt ijdem ritus an-  
 no 1486, eam ob causam, quod die Cor-  
 poris Christi festo, quidā patrato homi-  
 cido, ad aram (sacra celebrante sacerdo-  
 te) configuiens, à lictoribus • i inde abre-  
 ptus, in carceres ductus, & post dictam  
 facinoris causam, capitis supplicio affe-  
 stus fuerat.

Sunt in hac æde clari aliquot ciues di-  
 uersæ conditionis, ecclesiastici, politici,  
 nobiles, ignobilesq; terræ mandati. Ex  
 antiquioribus familijs Eptingeri sunt,  
 Laufemij, Seuoglij, Meltingeri, &c. Io. Puliat  
 enim Puliantus ab Eptingen, eques au- ab Eptin-  
 ratus, ab anno 1377 decies ad minus Cō- gen.  
 sul, deq; Basiliensium politia benè meri-

tus, hic tumulari noluit. Cui tumbæ etiam illata est Adeleidis filia eius, Gotfredo Monacho equiti nupta ( quæ post mariti excessum, pro amplificando religionis exercitio, matutina & uesper tina huius templi officia, magnis in eam rem collatis redditibus, anno 1415 instituit) anno 1429 mortalitati exempta.

Sed & Lauffemij, monumenta hīc nō inornata habent. Eius familiae illustrator fuit, Petrus de Lauffen, Tribunus plebis, anno 1376, quo infausta cruentaq; Saturnalia celebrata fuere. Cūm enim tum temporis Leopoldo Austriæ Duci minor Basilea pignorum iure pareret, isq; in cathedralis ecclesiæ atrio, cū suis urbisque Basil. nobilibus, equestres ludos (ut plebi videbatur, è qua nonnulli equis hastisq; læsi fuerant,) licentiūs insolentiusq; exercuisset: populus ad arma commotus ( quanquam Principes, Comites atq; Barones aliquot interesterent) hastiludia hæc ita diremit, ut occisis quibusdam, reliqui fuga sibi consule re coacti fuerint. Quæ res cum urbis Optimatibus summè doleret, nec qua ratione furibundam plebem sedare posse

Petrus de  
Lauffen,

fent, peruerderent: Petrus h̄ic prudenti  
cōsilio, fontis labro, ligneo tum adhuc,  
conſcenſo, summis interminationibus,  
ne quis amplius cæderetur, ſed ut om-  
nes captiui ducerentur, peruicit. Quem  
hic tumultus exitum habuerit, alibi di-  
cetur.

Huius non degeneres filij fuēre Con- Conradus  
radus atq; Hugo, quorū ille anno 1405 & Hugo  
Ludouico Rotbergio Consule, supremū Lauffemij.  
Tribuum Magistrum egit, annoq; 1414  
Bernensibus atq; Solodorensibus Bech-  
burgiam arcem, quam ab Egone Kibur-  
gio comite, matreque eius Anna de Ni-  
dow, cōparauerat, uēdidit, Basiliensibus  
ciuitati ſuā amplificanda magis inten-  
tis, quadriennio pōst patrijs cineribus  
associatus: Hic uero Vicedominij resi-  
dua iura, panumq; ueſtigal, Episcopi Ba-  
ſil. confensu, à quo in feudum iſta posſe  
derat, ciuitati dedit.

Ad laeuam chori partem Seeuoglij a-  
ram monumentumq; habuere. Hi iure  
collybiftico, (quo olim nequaquam uul-  
garibus hominibus promiscuè perfrui  
dabatur) primū emersere, atque à col-  
lapsæ urbis temporibus ſuam Reipubli-

**Conradus  
Seeuogel.**

cæ operam nauârunt. E' quibus præter supra tactos Henricum numero atque Conradum, quorum hic anno 1365 templi Martiniani ædilem egit, quinetiam ut ex insignibus (duplici nempe menisco, cornibus ab inuicem aueris) in sublimi turris parte parentibus, colligi potest, restorationē eius liberali sua suorumq; contributio[n]e promouit. Stirps utraq; hodie defecit.

**Meltingeri.**

Eandem Meltingeri sortem subiere, è quibus h[ic] Ludouicum humatum inuenio, mercatura primū suis, postea uero difficulti tēpore, quo Basiliensibus cū Austriae ducibus (quibus regiones uicinę parent) integrum quinquennium belligrandum fuit, consilio industriaq; patriæ utilis. Legationibus aliquot arduis adhibitus est, qualis anno 1448 Lindouensis fuit, qua urbe, post indigna facinora, ab Austriacæ partis nobilibus, fracto induciarum copromisso, Rinfeldiae (quæ Basiliensibus tum fœderata erat) cædibus, direptione alijsq; belli exemplis perpetrata, septuaginta duarum imperij ciuitatum legati, solidæ pacis constituendæ causa, conuenerant.

Eadem

Eadem progenies Henricum virum non ignobilem tulit, qui cum in clade Henricus Marignana, qua Heluetij pro Maximiliano Sforzia Mediolani duce, giganteo Consul. more pugnarunt, è tribus Basiliensium cohortibus, unius, (quæ octingentis militibus constabat) ductor, suæ fortitudinis specimen edidisset: anno 1522, quo Jacobum filium in pugna Picocciana apud Insulæ amiserat, in Consulem electus est. Verum cum septennio post, sub illius Magistratu religionis negotium in grauissimam disceptationem abiisset, adèò ut intra mœnia armorum strepitu cuncta personarent: quoniam Romanam eousque religionem, quantum in ipso fuerat, promouisset, plebis tandem calculum pro abolenda ea potiores obtinere parres uidens, metu commoti populi, nocte quadam clam in exilium abiit, in quo etiam uitam cum morte mutauit.

Ibidem & Conradus Heliæ, de Laufsen prope Schaphusiam, decretorū Doctor, officialis primū Constantiensis, postea archidiaconus Basiliæ clauditur, anno 1423, hebdomade ante Martini festū, fata.

fatali somno correptus. Vir hic suo tempore celebris fuit, & Episcopi nomine, ad Constantiensem Synodum missus. Eum Martinus Pontifex Humberto Novocastrensi, Episcopo defuncto, sufficerat, Hartmanni Monachi de Mönchenstein, uiri etate & corpore grauis, electione à Canonicis facta repudiata. Verum hac ille dignitate usus non est, sed pro modestia sua, ne turbis occasionem daret, uiro seni, cui ampla potensq; cognatio erat, loco cessit.

Sed & è notioribus Irmios, Hütchios atque Trutomannos, quibus illic etiam monumenta sunt, siccо pede præteruolare nequeo. Johannes equidem Trutomannus toga lagoq; laudem apud suos haud uulgarem sibi comparauit. Primum enim anno 1508 summum plebeium magistratum consequutus, ea fuit animi moderatione, ut ciuibus gratissimus, nomini suo responderet. Anno deinde 1515, in memorabili Heluetiorum pugna cum totius Galliae flore, secundę Basili. cohortis, quae 600 bellatoribus constabat, ductor strenuus redijt. Huc etiam Melchiorem Hutschium (cuius gen-

Iohannes  
Trutoman  
nus Trib.  
plebis.

Melchior  
Hutschius.

gentis nonnulli ante celebratiss. Basiliensem Synodum rem numulariam exercuere) numero, qui anno 1512 militarem tribunum Basiliensis Reipub. nomine, ea expeditione egit, qua Heluetij communibus uiribus, in Iulij pontificis gratiam, intra bimestre Gallos ex Insuibribus abegerunt, eoq; nomine titulum Ecclesiæ defensorum, cum nouis insignibus reportarunt.

Nicolai uerò Irmij, uiri honesta fama- Nicolaus  
lia orti, memoria recentiore est, quām ut Irmius.  
multis uerborum ambagibus egea. Epi-  
taphium qualis extiterit, me tacente, do  
cere potest, sic habens.

## DEO EXERCITVVM S.

NICOLAVS IRMIUS SEN. BAS.  
BELLI FACISQ. ARTIB. CLARVS,  
HELVETIORVM SVB HENRICO II  
GALLIARVM REGE EX FOED.  
ARCHISTRATEGVS,  
CVM ET FIDEM SVAM SOCIIS, ET  
FORTITVD. HOSTIBVS  
RERVM GESTARVM GLORIA  
PROBASSET,

ARMIS

ARMIS INVICTVS, MORBO  
TANDEM EXTINCTVS EST.

ET PATRIÆ QVIDEM INGENS SVI DESIB.  
EXEMPLAR VIRTUTVM CIVIB.

LIB. DENIQUE MOESTISS. EXTREMA  
PIETATIS ARGUMENTVM  
RELIQUIT.

ANNO CHRISTI, M. D. LII.

XVI CAL. APRILIS,

ÆTATIS SVÆ XLIII.

Bernardus Stechelius. Eiusdem conditionis Bernhardus Ste-  
helius fuit, cui in opposito pariete ma-  
gnificum ~~μνημόνιον~~ factum. Hic bonis à  
iuuentute literis imbutus, ex Musarum  
castris in Martia tentoria descendens,  
cum uarijs Gallorū militijs, quibus Hel-  
uetij ex fœdere affuerunt, fortitudinis fa-  
mam sibi conciliaisset, anno 1555, à Hen-  
rico secùdo Francorum rege, post Rent-  
inianum cōflictum, equestri baltheo do-  
natus fuit, cui porrò etiā in legione Hel-  
uetica ducenda suam nauauit operam.  
Bellis autem ciuilibus à morte Henrici,  
religionis causa per Galliam ingraue-  
scentibus: pij magistratus edictis obse-  
quens, pacem domesticam colere ma-  
luit.

luit, qua etiam 12 Kal. Septemb. diui sui  
nomenis festo die, anno 1570 in fata con-  
cessit.

Sed & ante adyti septum, gens Ober-  
riedorum, quæ sexaginta abhinc annis  
uiros aliquot in Repub. graues edidit, re-  
staurationis diem expectandi, sibi locū  
elegit. Ex ijs Franciscus præcipue me-  
morandus, uir pietate prudentiaq; ciuiū  
nulli secundus, qui anno 1560 ad summū  
Consularis dignitatis gradum euectus,  
tertio deinceps anno, senio curisq; con-  
fectus, 7 Kal. Ianuarij, non sine magno  
sui desiderio patriæ relicto, tranquilla  
morte decessit, pauculis diebus ante-  
quam Diuus Ferdinandus Imp. è Co-  
mitijs Francofurtensibus rediens, hac  
transiisset.

Franciscus  
Oberrie-  
dos Cösal.

Illustri ibidem ad columnam inscri-  
ptione, D. Iohanni Huberi archiatri Ba-  
silensis memoria, eleganti opere poste-  
ritati haud immerito commendata est:  
quippe cum artis Apollineæ annis cir-  
citer triginta quinque felici professione  
usuq; de uniuerso ciuiū cœtu, è quo na-  
tales duxerat, fide, consilij promptitudi-  
ne, & erga egenos etiam liberalitate, be-  
nè me-

Iohannes  
Huberus  
Medicus.

nè mereri non desierit, affabilitate comitatemq; sua cunctis gratissimus, artisque successu Principibus aliquot totiq; uicinæ nobilitati notissimus. Hic amissus prius magna urbis epidemia, filio Martino Hubero, I.C. Codicis professore,<sup>17</sup> liberorum pater, anno ætatis 65, salutis uero 1571, ingenti bonorum luctu morta litati exemptus, iuxta filios duos, Paulumq; Hochsteterum I. C. reconditus est, tali elogio:

Heic urbis Aesculapius,  
Scholæq; gloria Rauracæ,  
Mediciq; Idea conditur.  
  
Nec Diij pereunt neq; Ideæ:  
Nec tu putato mortuum,  
Quem uirtus, erudi:io,  
Perenne fama celebrat,  
Quem Christus æternum beat.  
Abei & bonis cum uiuere.  
Discito, cum pijs mori.

Non procul abinde saxum pedibus subest, sacerdotis effigiem referens, circumscriptione tali:

Haybeck qui tanto recubat sub pondere Paulus,  
Fulgeat æthereo post sua fata loco.  
Quis hic fuerit, quanquam inter au-  
spi-

spicia seculi huius decimi quinti obie- <sup>Io. Gastius</sup>  
rit, mihi non constat. Notiores uero ut Seuerinus  
& recentiores fuere, <sup>Aerimota-</sup>  
sis, & Seuerinus Erzbergius, quorum u- <sup>nus,</sup>  
terq; hoc in templo annis aliquor Euan-  
gelicum præconē egit. Ille quidem scri-  
ptis lucubrationibusq; suis alibi notior,  
hic uero sepulchrali Epigraphe aduenis  
hunc in modum consignatus:

D. O. M. S.  
**S E V E R I N O E R T Z B E R G I O**  
 HVIVS VRBIS, SCHOLÆ, ECCLESIAE,  
 CIVI, ALVMNO, ALTORI:  
 DISCIPLINÆ SEVERITATE IN  
 ADOLESC. MODERANDA CLARO:  
 A' CHRISTO, QVEM XLVI ANNIS  
 M. II. D. XV. ARDENTER  
 SPIRAVERAT,  
 DOMI FORISQ. PER ANN. XXVI  
 PIE DOCVERAT,  
 AD COELESTEM PANEGYRIN  
 PR. CAL. MAII  
 EVOCATO:  
 UXORIS AMOR, FILIIQ. PIETAS  
 EXTREMVM HOC MVNVS  
 P.  
 ANNO SAL. M. D. LXVI.  
 O Arq;

Atque hæc quidē olim parochia fuit,  
 qua D.Oecolampadij ministerio purio-  
 ris Euangeliū uox apud Basil. primū  
 īsonare cœpit. Hac psalmodiæ Daui-  
 dicæ lingua Germanica concini, ritus  
 pontificij cirea baptismi, cœnæq; domi-  
 nicæ administrationem aliaq; scripturis  
 nō satis probata, aboleri cœpta, ut eo nō  
 mine reliquarum mater nō iniuria dici  
 possit. Quanquā enim id Santalbanensi  
 tribui posse uideatur, apud quam Vuil-  
 helmus quidam, anno 1521 à Pontificij  
 diuersum docere cœperat: quoniam ca-  
 mē eum hāc ob causam exilio multatū,  
 sine ullo uocē religionis successu ad Mo-  
 rauenses Catabaptistas defecisse, con-  
 stans fama est: ideo doctrinę eius fermé-  
 ti nonnihil admixtum fuisse existimari  
 potest.

## C A P V T X V I .

*Academie locus, institutio, administratio. Augu-  
 stiniānum monasterium quondam, nunc  
 collegium.*

*Academie  
locus.*

**D**escensus hinc ad Rhenum admo-  
 dum præceps est, ut per gradus  
 Septuaginta, anno 1352 lapidos primū  
 factos,

factos, descendendum sit. Atque illuc ad fluminis ripam, Academia ( collegium uulgò inferius appellant) amplum locū occupans, adest. Ædes illæ priscis temporibus Scalarijs, nobilissimiis hominibus habitatae fuere, quos ut ego à scalis hisce Martinianis (infra quas locum sibi antiquitùs delegérant) dictos esse semper existimati, ita opinionē eam cuiusq; iudicio liberā relinquo. Evidem à scalis eos esse dictos, nil ambigo, cum quatuor gradus candidatos, in scalæ modum assurgentes, in scuto rubeo pro insignibus semp̄ gesserint: animaduerterim q; ante 300 años familijs à dominibus, quas author cuiuslibet stirpis coluerat, nomina data, quod exemplis permultis alibi docebitur. Vanum enim est, quod mace li nōmē, indigenis Die Schol appellatum, ab ijs descendetit, quasi eum illi fornicate cōstruxerint: testibus namq; instrumen- tis, ea nomenclatio à lancibus & stare- ris, quibus carnes appenduntur, idioma te nōstro; *Die Fleischschalen*, sine dubio deriuata existit.

Scalarios ego inter Basili. Aborigines <sup>nobiliss.</sup> semper reenlui, cō quod ante secula a<sup>z</sup> gens,

O z liquot

liquot summis in Repub. munerib. præfuerint, nec tantum Politicos heroas antiquissimis temporibus notos, sed & Ecclesiasticos multos genuerint. Consules equidem mihi notos (ciuum Magistros uocant) hos edidere, Othonem anno 1260, Rodolphum quinquennio post Petrum 1281, atque (si nullos transfilio) huic omnia 1359, Vvernherum 1308, auratos equites omnes, & alios forte plures. Prætorem sanè constituendi ius ab Episcopis diu obtinuere, ut rerum ciuiliam iudicia ab eorum Vicecultetis multorum annorum curriculo habita sint. Quinejam uirtute militari nō solū patriæ contrā Rodolphum Habsburgiū alijsque bellicis tempestatibus, Monarchis item atq; Principibus, bonam operam præstiterunt: sed etiam trans mare contra infideles pro Christianis, uirtutis & magnificentiæ suæ specimina ediderunt, adeò ut Hermanni Scalarij equitis insignia, in facello sepulchri Christi anno 1269 suspensa, multo post tempore à peregrinantibus uisa sint.

Domus hæc à Iacobo postmodum Zibolio patritio, Tribunitiæ dignitatis ui-

ro empta, eousq; priuata permanxit, do-  
 nec nurus eius, Burchardi Zibolij ui-  
 dua, Sophia de Rotberg, Ludouici quon  
 dam Col. filia, religiosæ uitæ sese uelut Sophia de  
Rotberg.  
 emancipans, splendidiore hac neglecta,  
 eam Senatui uendidit, atq; iuxta Lapi-  
 dum cœnobium aliam sibi habitationē  
 cōstruens, uiduitatis suæ annos illuc san-  
 ctissimè transegit. Fuit hæc sui temporis  
 præclarissimarum uirtutū speculum &  
 imago. Postquam enim Burchardus (qui  
 anno 1429 Tribubus præfuit) maritus e-  
 ius, cum quo castissimè uixerat, & filius  
 unicus Casparus, in quo stirps ista  
 defecit, mortui essent: illa annos supra  
 quadraginta, castitate sanctimoniaq; ui-  
 tæ conspicua, uiduam agens, nil magis  
 quærere uisa est, quām qua ratione reli-  
 gionis exercitium, illi tempori compro-  
 batū, amplificaret ac p̄moueret, Deoq;  
 famulantib. liberales præberet manus,  
 pauperes subleuaret, precibus diuinisq;  
 officijs incumberet, qualia de Anna pro-  
 phetissa Phanuelis filia, Sacræ literæ pro-  
 dunt. Incredibile est quantum unica hęc  
 opulentissima alioquin, spretis faculta-  
 tibus suis, ac si eas non possideret, in u-  
 triusq;

triusq; sexus religiosas effuderit. Fratres habuit duos Arnoldum Basil. episcopum, & Bernhardum equetri Zona conspicuum heroem, Anno 1449 Cōsulem. Obiit benefica isthæc matrona, salutis anno 1479, nocte Mathiae festū in sequenze, apud Carthusianos mariti loculo illata. Postquam uerò Basilienses à Pio 2 Pont. Academiam, seu Scholam publicam docendi promouendiq; priuilegijs instructam, impetrassent, domicilia hæc Collegio auditorijsq; dicārunt, adeò ut quæ Scalariorum olim, nūc Scholarium domus sit.

**Academie  
institutio,**

Pius enim, prius Aeneas Sylvius appellatus, Senensis, cùm tempore uniuersalis Concilij, annis aliquot Cardinalium & Episcoporum famulum, publicum etiam scribam egisset, inq; Cæsarea Sigismundi aula, quæ septem illic mensibus hæserat, inter cæteros viros magnos Casparum Schlickium Imperatoris Cancelarium, familiaritate sibi deuinxisset, atq; ob Italici idiomatis cognitionem in scrianiariorum numerum cooptatus fuisset: occasionē emergēdi nactus, in Escopum primò Tergestinum, dein Cardina-

dinalem promotus, cathedram Pontificiam tandem assequutus est. Apice igitur Ecclesiastico consenso, à Basiliensiis, quibus cum tot annis iucundè conuersatus fuerat, facile exoratus est, ut nō solùm ad suæ Reipublicæ, sed etiam uicinarium partium utilitatem, in Ciuitate sua, tanquam loco insigni & accommodo, ubi aëris uigeret temperies, uictualium ubertas, cæterarumq; rerum ad usum uitæ humanæ pertinentium copia reperiretur (sic enim Bulla loquitur) & à qua famosa Studia Alemanniæ satis distarent, Studium Generale, in qualibet licita Facultate, pro fidei Catholice ampliatione, simplicium institutione, mentiumq; illustratione, institueret: ita ut viros produceret consilij maturitate conspicuos, uirtutum redimitos ornatibus, & diuersarum facultatum dogmatibus eruditos, essetq; illic scientiarum fons irriguus, de cuius plenitudine uniuersitaurirent, qui literarum documentis imbuí cuperent. Et quidem Academiā hāc ad exemplar Bononiensis, ijsdem prorsus priuilegijs immunitatibusq; perfrui uoluit, sub dato Mancuæ, pridie Idus

Nouembris, Anno 1459. Sic ergo pij Magistratus cura, hæc tam utilis institutio introducta, plantataq; priuilegijs etiam intra urbis mœnia peculiaribus munita ac liberaliter hucusq; conseruata est.

**Solenitas.** Rei uero auspicandæ hic actus datus est. Cum Pontifex diplomate dicto, episcopum Basil. Academiæ Cancellarium designasset, festo D. Ambrosij, unius è saniorib. ecclesiæ Doctoribus, anno 1460, hæc ad rem delecto, in maioris Basilicæ choro, sacris solenniis paulò celebratis, Iohanni de Veningen tum præsuli, in rotu Cleri conspectu, Io. à Berenfels auro insignitus Consul, cum designatis aliquot, Pontificale diploma exhibuit, utq; rei instituendæ fauorem & auxiliū adderet, rogauit. Cui postquam assensum præbuisset, Petrum Andelaum canonum Doctorem, & Præpositum, primum designauit Rectorem, lætissimis Psalmodijs cantionibusq; inauguratū, cum mandato, hunc sibi in instituenda Schola laborem sumendi. Atque hic cū Senatu Basil. qui Academicos in tutelā suumq; suum confouendos susceperebat, amplis etiam immunitatibus donârat,

cer-

certis cōuenit capitibus, ne qui studioso  
rum specie subingressi, alias fraudes ne-  
stere, cæterique animi cultus gratia hic  
cōmorantes, tranquillè pacificeq; cum  
ciuibus agere possent. Eiusdem indu-  
stria facultatum primi Decuriones desi-  
gnati sunt, Casparus Maner Theologi-  
cæ, Petrus zem Luft Iuridicæ, VVernhe-  
rus VVölflius Medicæ, & Iohānes Creu-  
ger Philosophicæ : profesiones præ-  
terea institutæ, legesque paulatim con-  
ditæ.

Quanquam uero sub Gymnasij auspi Academiz  
cijs profesiones aliasq; res Academi- administra  
cas administrandi, pro illius temporis tio.  
studiorumq; cōditione, dissimilis non-  
nihil ratio fuerit: hodie tamen quādo &  
in sacris & profanis literis feliciora na-  
tūri sumus tempora, in docendo discen-  
doq; ,totoq; cætu moderando, hic mos  
seruatur. Deligitur primū singulis an-  
nis ex procerum numero, Rector, totius  
Scholæ caput & antecessor, qui præter  
dignitatis suæ peculiaria munia, qualia  
sunt Gymnasij commodis inuigilare, no-  
mina in album recipere, fidem exigere  
&c. in disponendis definiendisq; diuer-

sis rebus concilia tria agitat, Vnum quidem è singularum professionum quinis cōstans (nisi numerus deficiat) maximū atq; summum, quod Regentiam sive Academiæ senatum appellant, cuius est de grauiorib. rebus ad uniuersam scho- lam pertinentibus, statuere, in quarum cognitione omnium ordinum sententi- as atq; suffragia audire interest. Alterum minus est, cui præter antiquum Recto- rem, quatuor professionum Decuriones tantum intersunt, qui negotia minùs ar- dua, ut sunt stipendiorum collatio, ex- cessuum, si qui à studiis committūtur, emendatio, & his similia, quæ citrā reli- quorum professorum præiudicium, mi- nore numero expediri queunt, confici- unt, ne qualibet occasione in dispendi- um agitandarum lectionum, uniuersos cogere necesse sit. Tertium concilium Consistorium appellant, quo præter pri- oris anni Rectorem, è singulis profes- sionibus singuli, ad scito uno è iuris lyti- siue prolyti, ad tribunal sedent, om- nesq; ciuiles causas, quas uel studiosi in- ter se, uel ciues extranei q; contra studi- os habent, dijudicant.

Pro-

Professiones autem quatuor sunt, Theologia, Ius, Medicina, Artes: quarum quælibet suum habet præsidem consiliumq; cui sui ordinis rerum admirandarum plena potestas, quælibet item peculiarem fiscum atque sigillum. Atq; ut se Artes reliquarum ancillam libenter profitentur; ita ut ex ea iuuenes ad cæteras capessendas apti, iustisque præsidij instructi, uelut ex promptuariis in latissimos doctrinarum campos deduci possint, plures hic discendi Magistros, plures item lectiones exercitarienesq; maiores instituerunt.

Qui enim ex trivialibus ludis, quorum Studiosos tres sunt, ad publica auditoria transferuntur, hi cæteris studiosis spectantibus, examine præmisso, ritibus quibusdam Academiæ sacrис initiantur. Ligneis enim ascijs, dolabris, terebris, forficibus, & nescio quibus alijs instrumentis, acciduntur, dedolantur, tentantur, tonduntur, cornua item capitibus admota amputantur, ijsq; cæremonijs à maiori bus acceptis admonentur, ut morum asperitate reicta, ad elegantiam uitæque decus aspirent, auctes præceptoribus nobis ob.

obseratas sed patulas atq; sitientes præbeant, ut ante barbam eruditionem consequantur, cornibus, quæ scioli plærunque erigere solent, missis. Atq; id Rudimentorum positionem uocant. Quo in genere Germani nos cæteris nationibus mirè ridiculi sumus.

Ordo & ratiō docēdi in gymnasio.

More isto excepti, siquidem adhuc tenues sunt, ad Pædagogium mittuntur, quod inter Academiam ludumq; triuialem medium quasi est, ijsq; Virgilius, Cesar, Lucianus, uel similes utriusque linguae authores, unā cum Logicæ elemenis proponuntur, exigunturq;. Grammatices tamen, quæ minus fideliter percepera, sui neglectum vindicare solet, præcipua ratio habetur. Classis secundæ institutio liberalior est, ubi præter linguæ Græcæ exactiorem prælectionem, Dialectica quoq; pleniū traditur, nec Rhetorices tantum præcepta, sed usus etiam in enarrandis orationibus Ciceronianis ostenditur, alternis item hebdomatibus disputationes declamationesque publicè instituuntur. Qui uero accepit tyrocinij laurea ad sublimiores Philosophiae partes aspirant, ijs Aristotelis Logica,

gica, Physica, Ethicaq; diligenter expli-  
cantur. In Mathematicis porrò præter  
Arithmeticam atq; Euclidis Geometri-  
corum elementorum libros aliquot, hy-  
pothesis motuum cælestium, primi at-  
que secundi, quas uulgò Sphærā & Pla-  
netarum Theoricas appellant, cum suis  
tabulis, ceu motuum promptuarijs, pre-  
leguntur, intersertis nonnunquam A-  
strolabi Calendarijq; structuris. Exerci-  
tationes his ijsdem indicuntur uicibus,  
ut de auditorum uiribus, quidq; in con-  
gressibus possint, periculum fiat. Si gu-  
larum autem classium asseclis dietim le-  
ctiones quatuor præfixæ sunt, Iouis die  
liberali studiosorum otio consecrato.

In Medica uero professione lectores  
duo sunt publici, quorum unus faculta-  
tis eius Theoriam, alter praxim potissi-  
mum tradit, qui ut auditoribus suis ma-  
iore cum fructu præsint, corporis huma-  
ni anatomen data occasione nonnun-  
quam instituunt, bis insuper quotannis  
rei herbariæ cognoscendæ gratia, eos in  
proximos montes deducunt, disputati-  
onibus deniq; ex ordine menstruis, ex-  
ercent.

Iuris-

Iurisconsultorum schola professiones  
tres habet, unam Pandectarum, Codicis  
alteram, ac Institutionum tertiam:  
Theologica totidem, noui scilicet atq;  
ueteris Fœderis singulas, deniq; linguæ  
sacræ reliquam, in quibus singulis ferè  
hebdomadibus disputationes, non claus  
mosæ ac sophisticæ, sed quæ ad illustran  
dam ueritatem, studiosorumq; profe  
stum explorandum faciunt, exercentur.  
Atq; hic earum professionum modus, si  
ne quibus ad retinendam religionis pu  
ritatem, politicam administrationem tu  
endam, humani corporis salutem procu  
randam, & ad ipsam inter mortales hu  
manitatem conseruandam, uita nostra  
carere nequit.

Etsi autem Academia hæc inter initia  
(quæ erat sacerdotiorum & ad eadem as  
pirantium multitudine) studiosorum co  
pia magis floruisse uideri possit: pronu  
ciare tamen audeo, eam promotorum  
publicisq; testimonij dignissimorunt  
frequentia, nulla ætate fertiliorem, exa  
cto decennio fuisse, quo in omni Facul  
tate tot tantiq; viri, uelut ex Troiano e  
quo, non solùm in uniuersas Germaniæ  
pro-

prouincias, sed & in Galliam, Daniam, Angliam, Belgium, aliasq; nationes pro diere, ut illud postera magis ætas quam nostra celebratura sit.

Cernitur hic ad Rhenum Academiæ Bibliotheca, libris recentibus & antiquis, quinetiam multis manuscriptis Græcisq; codicibus, minimè infreques, supraq; eam aula Rheno imposita ampla nitidaq; Philosophis quondam propria, nunc publicis actibus atq; promotionibus destinata, Academiæ *βεαβιτήν* seu inauguratorum. In eo humana scelyta tria, virile, muliebre ac puerile, addita simiē ossium compage, proceres erigi curarunt. Quo id fine factum, quibusue authoribus tribuendum, ualuarum scrinij siue armarij inscriptiones docent, his uerbis.

VTRVNQ. SANE DONARIVM,  
HOC CIVIS, HOSPITIS ILLVD

SVI,

BASILIENSES ACADEMICI

GRATO ANIMO

ILLVSTRI HOCCE LOCO

INAUGVRAT.

A FRON.

A<sup>1</sup> FRONTE POTIVS, QVAM  
 VT IN TRIVMPHIS OLIM  
 A<sup>1</sup> TERGO,  
 SPECTANDVM CONTEMPLAND. Q.  
 PROPOSVERE.  
 NON TANQVAM PHIDIÆ ET  
 PRAXITELIS EQVOS:  
 SED VT QVI PII SVNT BONIQ.  
 MORTALITATIS SVÆ ARGUMENTO  
 AD IMMORTALITATEM  
 PROPERARE,  
 NATVRÆ VERO<sup>1</sup> OPERVM STVDIOSI,  
 SEXVS ET ÆT. DISCRIMEN  
 CITRA NEG.  
 IN HVMAN. OSSIB. OBSERVARE  
 DISCANT ET EXERCERE.

Alteri ualuæ ista insunt.

ANDR. VESALIUS  
 BRVXELLEN.

CAROLI v. AVG. ARCHIATRVS,  
 LAUDATISS. ANATOMICARVM  
 ADMINISTR. COMM.  
 IN HAC VRBE REGIA  
 PVBLICATVRVS

VIRILE

VIRILE QVOD CERNIS SCELETON,  
 ARTIS ET INDVSTRIÆ SVÆ  
 SPECIMEN,  
 ANNO CHRISTIANO  
 M. D. XLII.  
 EXHIBVIT EREXITQ.

¶ SEXTO POST LVSTRO  
 FELIX PLATERVS  
 ARCHIATRVS,  
 ET MEDICÆ SCHOLÆ ANTECESSOR,  
 CONATV NE MAIORE AN  
 MEL. SVCCESSV  
 PRÆCEPTORIS HOSPITALE MVNVS  
 MARITARIT, FOECVNNDARIT  
 ET EXORNARIT.  
 QVISQVIS ERIS SPECTATOR  
 GRATIOSVS ET ERVDITVS  
 IVDICATO.

Ipsa de se Scelyta ita loquuntur.

*Nostro perempti scelere,  
 Alienæ uiuimus manu:  
 Pueri auctiores ossibus,  
 Agilisq; sceleto simiæ.*

Haud longè suprà principem hunc  
 Gymnasij locum, Eremitarum ordinis  
 P diui

**Augustin-** diui Augustini cœnobium fuit (siquidē  
**ensium &c.** eiusmodi structura, in qua nihil com-  
nobiam. moditatis desiderare queas, eremi no-  
men meretur ) ipsum quidem non ni-  
mis amplum, loco tamen urbis eleganti-  
sum. Huic magistratus politicus anno  
1276 initium dedit, eius professiōis qui-  
busdam è Mülhusiano conuentu hu-  
commigrantibus. Postquam igitur am-  
plissimi Senatus aliorumque bonorum  
ope & subsidio, quibus eorum religio  
persuasa erat, domum suam cum æde sa-  
cra intra Martinianæ parochiæ limites,  
nō sine illius præjudicio construxissent,  
nec id Vuernherus Scalarius Canoni-  
cus, rector illius, utpote iuri suo dānosū,  
ratum habere uellet: antecessores eorū  
Leo atq; Sigelo, in illius decessus recom-  
pensationem, annuam quindecim libra-  
rum pensionem, anno 1290 pacisci, ac  
eousq; exoluere coacti sunt, donec ære  
eam redemissent. Eò enim monasticam  
uitam professi ubiq; locorum omnibus  
neruis contenderunt, ut templa sua pa-  
rochij aequaliter, hominesque emolu-  
mentorum causa ab ordinaria locotum  
sacrorum frequentatione ad se allicerent.

Nam

Nam & Sacra menta percipientibus, cō-  
fidentibus, in primis autem morientibus  
pro uarijs exequijs iustisq; funebribus,  
nummi persoluendi, oblationesq; faci-  
endæ erant. Sapienter autem Sigismundus  
Augustus, in reformationis formu-  
la ad Basil. synodum concepta, unā pa-  
rochiam multis monasterijs præstantio-  
rem iudicauit.

Habuit multos hic Ordo titulares, hoc  
est, sine grege Episcopos, à Gallis Nulla- Episcopi tū  
tenances appellatos, quibus à summis Pó- tularies,  
tificibus, in ultramarinis terris, Episco-  
palis quedam sedes, ab epileptici Maho  
metis sequacibus Turcis profanata, af-  
signabatur, cuius possessionem nec illis  
tribuere, nec hi unquam assequi pote-  
rant. Horum postea opera Episcopi alij  
in sacrandis templis cœmiterijsq;, ordi-  
nandis sacerdotibus & similibus rebus  
usi sunt. Inter eos qui de hac secta Præsu-  
lum Basiliensium suffraganeos (ut uo-  
cant) egere, fuerunt Bonifacius Episco-  
pus Bosoniensis, anno 1295, Martinus  
Treponensis 1310, Iacobus Panadensis  
1314, Iohannes Recrehensis 1324, Nico-  
laus Frisius Tripolitanus, qui anno 1498

cessit. Ei Telamonius Limperger Tripolitanæ dignitatis nomine successit, gregem postea domi nactus. Euangelica namq; luce renitente, titulari sua dignitate amandata, ueritatem potius quām umbratilis rei imaginem sequi maluit: primus, qui in maiore Basilica, dominica scilicet Inuocauit, anno 1529 ab illius repurgatione, docuit, Germanicis psalmodijs infonantibus.

Abrogatis monachorum institutis, cum in turbis illis Gymnasium prouersus conodisset, Musis supra quinquennium exulantibus: Magistratus, purioribus in pristinas sedes reuocatis, cœnobijū hoc studiosorum contubernio concessit, ubi etiamnum munificentia eius ē ciuium liberis duodecim, ut in antiquo collegio peregrinorū octo, sub Præpositi cura alūtur, alijsq; plures degūt, qui in studiosorū potius conuersatione quām alibi uersari malunt. Hic etiam ante septennium Prytaneum Academicum institutum, ubi honoris causa uiri docti peregrini excipiuntur, promotorumq; conuiua, circa luxum inanemq; profusionē ( quippe quod singulis promotionibus non nisi

nisi singula, eaque sumptuarijs legibus  
moderata, definito scilicet hospitum at-  
que ferculorum numero, instituere li-  
ceat) celebrantur: magistratu singulos  
actus, uino honorario missō uerbisque  
gratulatorijs prosequente. In templo au-  
tem monumenta si quae fuēre (ut est om-  
nium rerum uicissitudo) cum Senatus  
authoritate, à quo cōstructum fuerat, in  
publicum ciuitatis usum mutaretur, in-  
tercidere.

## C A P V T XVII.

*Senatoriū locus. Reipublicæ administratio.*

**P**er illustrato urbis perimetro, ad um-  
biliçum eius, quem Curia spe etabi-  
lis tener, descendo. Locus is fornici-  
cibus firmis supra Birsici fluētum in am-  
plæ planitiei aream redactus est, ut exte-  
ri artis opus ignorantes, solidum calca-  
re solum arbitrentur, id quod alijs etiam  
locis areisq; factum. Forum appellant  
frumentarium, cui ab antiquo seruīt: uj-  
ctualium enim cæterarumq; rerum ne-  
cessiarum forum, in area quondam pri-  
marij Templi datū fuit, generalis Con-

Curia ubi  
quondam  
fuerit.

cilijs tempore in Minorarum uicuna  
tráslatum. Verùm Senatoriam domum  
(uulgas iudiciariam appellat) non sem-  
per hodiernum locum occupasse, supra  
docui. Antiquitus enim ad Rhenum, è  
regione Brandanij facelli, ciuium pri-  
mores atque in magistratu constitutos,  
consultandi iudicandiq; gratia conueni-  
re solitos, ambigendum nihil, fuitq; Sa-  
lina turris Reipub. chartophylaciū. Sed  
nec id fixum fuit. Anno salutis 1330, Con-  
sulūm ædes hodiernæ Curiae opposi-  
tas fuisse, ubi domus tres Pauonibus  
insignitæ, una ex parte ad forum, altera  
ad macellum pertingentes, instrumen-  
torum fide compertum habeo. Cuius e-  
ziam rei indicia adhuc esse possunt, fer-  
reus torques illic appendens, quo infa-  
mes uiri mulieresq; induuntur, publicæ  
item subhaftationis locus, quo año 1376  
ciues nonnulli cruentæ seditionis con-  
tra Leopoldum Austrium reliquosque  
magnates, infaustis Bachanalibus rei,  
cito capitis suppicio affoeti sunt, unde à  
nostris communi fama, der heiss Stein nun-  
cupatur. Ibidem quoq; Munatij Planci  
pictura extat, cum inscriptione tali, à Be-  
ato Rhenano concepta:

L.MV-

L. MUNATIO PLANCO, CIVI ROMANO, viro Consulari & Praetorio, Oratoriq; ac M. Ciceronis discipulo, qui post deuictos Rhetos, ede Saturni de manubijs extructa, non modo Lugdunum, sed & Rauricam coloniam deduxit, quæ Augusta fuit appellata, ab Octavio Augusto tum rerum potiente: s. P. Q. BASILIENSIS, tametsi Alemannorum transducti coloni, subactis ac depulis Rauricis, amore tamen uirtutis, quæ etiam in hoste uenerationem meretur, uerustissimo tractus huius illustrator, culpa temporum prorsus abolitam memoriam postliminio renouauit.

runt. Anno M. D.

XXVIII.

Cæterū multo post terræ motus Rauracos tempore, Praetorium in hodiernæ Recens Se- areæ locum mutatum fuit, Vualdenbur- natorij lo- gum tum appellatum, cuius proprietas cus, ad Vestales Clingentalenses spectabat, quibus ab Elisabetta, matrona quadam ē Rufforum familia, donata fuerat: quo nomine magistratus annis non paucis, ijsdem pecuniolam quandam annuatim pependit. Anno uero huius seculi octauo demolita priore structura, ē fundatis iterum sexto lapide, opere non  
P 4 ignobi-

ignobili in splendidiorem cultum reuocata est, Deo Virtutiq; dicata, inscriptio ne characteribus aureis, teste.

*Birsici insundatio.* Spectatur in ipsius limine ænea tabula, ad exundantis ac portentosè furentis Birsici memoriam facta, qui riuus per se modicus, semel i8 Kal. Iulij, anno 1529, atq; iterum ad quartum Nonas eiusdem mensis, in sequentis anni, ingenti aquarum mole, spumeus atq; feruens, maximo ciuium damno, totam urbis conuallem altè compleuit, ita ut forum profundum lacum repræsentaret, ipsaque curia ex iundis emineret, uestibulo ad uiri penè stataram aquis testo.

In illius area dio subdita, rerum capitalium iudicia exercentur, primario statore per publicum cognitorem actoris partes sustinente: Aduocato autem cum Senatu nouo alijsq; delectis uiris, ad tribunal sedente. In proximo illic uaporario, ciuiles causæ discutiuntur, præside urbano Prætore, quem à mandato soluendorum nominum, Alemannica uoce *Schultheis* appellant, assessoribus decē stipatus, quorum quinq; è maiore, totidemq; de minore urbis consilio leguntur,

tur, addito Aduocato, qui iniuriarum a-  
ctionibus & ad læsam pacem spectanti-  
bus, ius dicit. Vtrunq; & aduocati & præ  
toris officium, episcopalis olim iuris fu-  
it. Prius ex Satalbano diplomate mani-  
festè patet, ubi Burchardus Præsul, Offi-  
cialibus suis sanguinis iudiciū referuat,  
& ex Leonardino, quo tempore Vuern-  
herus de Hohenberg ab Episcopo con-  
stitutus, urbis aduocatum egit. Digni-  
tas profectò atq; authoritas horum pri-  
scis seculis haud exigua, quæ proin no-  
bilibus tantùm ac equestribus uiris de-  
mandabatur. Apparet enim ex p[ro]tore  
diplomate, nomen Rodolphi aduocati  
Comitibus ea tempestate, antelatum  
fuisse, atq; ex alijs antiquioribus instru-  
mentis, aduocatum Consulis nomen  
anteuertisse. Sic Albertus de Argentina  
miles, anno 1236 aduocatum egit, Petrus  
Scalarius miles 1253, Hugo Monachus  
miles 1258, Gotfridus ab Eptingen 1262,  
Conradus Scalarius de Benken 1308, qui  
tamen uices gerentem habuit &c. Au-  
thoritate dehinc Imperiali, potestas hęc  
ad ciues legitimè peruenit, ut appetat  
ex historia Caroli quarti, cui Basilienses

Aduocati  
Basil. mu-  
nus.

anno 1348 (referente Alberto Argento-  
ratensi) aduocatię ius conseruandi iura-  
mentum præstitere, ita ut ultrà 250 ab  
hinc annos, aduocatum designare, Se-  
natus fuerit, cuius officium hodie nul-  
lum aliud, quam in criminalibus præsi-  
dere, in ciuilibus uerò assidere.

Prætoris  
officium.

Idem in iure Prætorij cōtigit, quæ fun-  
ctio ab Episcopis olim non nisi prima-  
rijs uiris & nobili loco natis, beneficij lo-  
co dabatur, quos antiquitū etiam pro-  
pria persona iudicio præsidere non pu-  
debat: hi tamen posteris seculis per ui-  
cegerētes suas partes expleuerūt. Qui  
nimò principales Scultetos, Magistro  
ciuium reliquoq; Senatu assidente, iu-  
ra dixisse, neq; distincta quondam fuisse  
consilia, inuenio, ob litium hauddubie  
raritatem, pro eius seculi probitate, qua  
etiam factum, ut breuissimis instrumen-  
tis nuda rei gestae ueritas, sine multis am-  
bagibus, operosisq; exceptionibus cau-  
tionibusq; (quemadmodum hodie ob  
improbos hominum mores fieri opor-  
tet) conciperetur. In ualescentibus au-  
tem cōtrouersijs, hominumq; maligni-  
gate crescente, causis dirimendis pro-  
prios

prios designare iudices necesse fuit, qui hisce tantum uacarent, cæteriq; Reipublicæ rebus consulendi locum haberér. Prætoris sanè munus circa annum salutis 1230 à Monachis possessum (Conradus enim Monachus miles, anno 1236 Sculteri tribunal renuit) ad Scalarios postmodum deuenit. Otto enim Scalarius, anno 1250 iudicio præfuit, quo etiā Henricus Ceizzo ciuis, Episcopi uices super temeritatibus (sic enim eos loquitos reperio) gessit. Successere de eadem stirpe, Petrus 1275, Vuernherus 1319, atq; Rodolphus 1328, torquati equites omnes, usq; ad annum 1348, quo ingens illa mortalitas totū persæuijt orbem, tunc enim Sculteri dignitas ad Berofelios ignota occasione deuoluta est, munus illud in minori Basilea iam multò ante gententes, Ex ijs Conradus atq; VVernherus eminuere, donec Senatus utriusque urbis Præturam anno 1380 ære sibi uendicauit.

Hybernaculo superiore, Senatus, quē minorem uocant, agitur, in duos diuisus ordines, nouum scilicet, cui in mode xanda politia, disponendo, decernēdoq; plena

Rcipub. Ba  
fil.forma,

plena potestas: & antiquum, qui clapsō anni curriculo eadem gubernacula tenuit. Is tamen non prorsus antiquatur, quin recenti consilio, negotijs præfertim maioris momenti occurrentibus, posterioribus subsellijs assideat. Sæpen numero in propriam aulam secedit, deq; Reipublicæ negotijs, ijsq; quibus Senatus nouus admonendus uidetur, consultat. Decreta uero consultaq; sua, per unum ex antecessoribus ad nouum refert, quæ nisi ab eodem confirmantur, rata non sunt, neq; exequutioni mādantur. Quæ tamen illi uno ore communibusq; suffragijs statuunt, nouus non facile mutat.

Consilium hoc priscis seculis ita concinnabatur. E primaria nobilitate antecedebant equites torquati quatuor, è quib. semp Cōsul legebatur. Sequebantur ex ingenuorum siue Patritiorum familijs octo, unde uulgò Achtburger dicebantur, quorum unus summo tribuum magistratu ut plurimū fungebatur: atque ita nobiles duodecim nouo Senatu adscribabantur. Reliquam coronā è singulis tribubus bini conficiebant. Cōsulem

ſulem equidem à Senatu nominatum,  
Episcopus confirmat, tribuum uero  
Magistrum ipfe constituebat, reliquos,  
octo electores, bini de Canonicis, equi-  
tibus, in genuis atq; tribubus, Præfulti iu-  
ramento præstito, creabant.

Hodie uero post uarias tempeſtates,  
temporumq; ſuccedentium momenta,  
quæ rerum omnium uicissitudines pa-  
rere ſolent, ingens mutatio facta. Ita e-  
nim res noſtras uario fortuna turbine  
uerſat, ut diuersa tempora, diuersos ho- Mutatæ  
nonnihil  
Rcipub. Ba  
fil. caniz.  
minum mores ingeniaq; producentia,  
ijsdē legibus cōtentā eſſe nequeant. Pri-  
mūm enim cum anno 1445 poſt damna  
ab Armeniacis circa Basileam data, cum  
uicinis Austris diuturno bello conſli-  
ſandum eſſet, ac ingenui omnes eorum  
uafalli, à Senatu belliq; gerendi conſilijs  
exclusi, uel potius ſuſpensi eſſent: edicto  
in ſuper publico uniuersis Armenia corū  
ſollicitatorib⁹, ductorib⁹. & quoiquot fu-  
neſtum Basilienses opprimendi institu-  
tum, ope conſilioue pmouerant, nomi-  
natim ita proscriptis, ne quis eorum iu-  
re ciuitatis unquam frueretur, nec ullum  
in ea domesticum alere focum permit-  
tere-

teretur, id quod alibi fuse persequuntur sum: nonnullam id equestris ordinis rariatem peperit, eò quod Senatorijs aliquot uiris, fratres cognatiq; hostilium illarum machinationum conscij, edito illo comprehensi fuissent. Richensteinios sanè, Rotbergios, Rhenenses, Badenses aliosq; ab ista factione integros sese servasse, laudabile fuit.

Anno autem 1499 inter Maximilianū, Cæsarem Heluetiosq; cruentissimo bello exorto, cum Basilienses neutri parti opitularentur, in primis contra Helvetios (quod tamen nobiles summopere contendebant) quorum amicitiam multis opportunitatibus experti fuerant, hostile nihil moliri uellent, sed utrosque admitterent: tum demum id nobilium multis adeò indoluit, ut fide qua ciuitati tenebantur, resignata, excellerint, ipsamq; Rempublicam nō solum deseruerint, sed etiam quantum in ipsis fuit, afflixerint, præcipue post Io. Himmeriu à Gilgenberg (qui inscio magistratu nomine immutato, clancularijs consilijs Austriae iuuerat) cōsulatu priuatum. Indignitas ea, qua Basil. ciues uicinorum cędibus,

dibus, rapinis, conuitijsq; nemine uin-  
dicante, integrum biennium subiacue-  
rāt, ita ut nec in proximis territorijs suis  
rebus tutò uacare, nec apud Cæsarem  
(qui tamē eos pacificationis edito cō-  
prehenderat) huius rei ullam medelam  
impetrare possent: conciliandi sibi fœ-  
deris Heluetij causam præbuit, quod pri-  
mo huius seculi anno, Henrici Imp. solē  
nitate, iuramento initum est & confir-  
matum. Atq; id denuò nobilium nōnul-  
los, sub Austriacis possessiones haben-  
tes, alienauit. Per ea sequentiaq; tempo-  
ra ex antiquioribus quoq; ciuibus, per-  
multæ nobiles familiae prorsus defecē-  
re, quod anno 1516, quo primus è plebe  
Consul lectus est, octonarium eorum nu-  
merum ad binarium redigendi, occasio-  
nem fortè dedit. Sed & reformatæ ecclæ  
siæ causa nonnulli gubernacula dese-  
rere, quam eam doctrinam amplecti,  
maluerunt, cuius formula postea anno  
1534 sub Confessionis nomine publicè  
est edita, ciuibus iureiurando ei obstrui-  
atis: cuiusq; intuitu Basiliës nuper reli-  
quarum per Heluetiam repurgatarū ec-  
clesiarum Confessioni subscribere no-  
luerunt,

Iuerunt, quod isto doctrinæ suæ conformi specimine iam olim edito contenti essent.

Porrò ut ad propositum sermo meus reuertatur, reliquus Senatus è ciuium societatibus siue tribubus, Lutoldi de Rotinlein Episcopi auspicijs introductis, conficitur, binis de qualibet recenti consilio adscitis: quorum unus à prioris anni Senatu legitur, alterum tribus mittit. Ex ingenuis uero plebeisq; familijs sine discrimine optimi prudentissimiq; religiosis ceremonijs, ciuitati tribubusq; præficiuntur, qui cum summa dignitate auctoritateq; polleat, urbis Capita nuncupantur. Tribus uero quindecim habentur, in quarum primis, Mercatorum scilicet, Numulariorū, uulgò Die Haussgenossen, Vinariorum & Institorum, pleriq; nobiliariorū ciuium recensentur (quam & cæteris ingenuis sua quoq; sit societas) reliquæ sunt Opificum. Hinc illæ dominorum, hec uero undecim magistrorum tribus dicuntur. Sic ergo completo numero Senatus uterque 64 viuis constat.

Huius uaria inter se Politiae munia distributa

buta habent, quæ ne uniuersum Senatum  
 nimiū distineant, designati tan-  
 tūm obeunt. Ternarium primò nume- Triūniri.  
 rum constituunt, sanctioris ærarij ac si-  
 gilli ciuium custodes, primarij semper  
 ac Consulares uiri: similiter & Arcæ pre-  
 festi, quorum partes sunt, uarios urbis  
 redditus colligere, sigillum iudicij custo-  
 dite, & in criminalibus, per primarium  
 statore actores agere, unde & triumui-  
 ri capitales non malè dici possent. Mu-  
 nus eorum trienne est, uno post alterum  
 decedente. Succenturiatum tamen illi  
 habent, quem Censuum magistrum vocan-  
 cant, cuius munus, à publicarum ta-  
 bernarum conductoribus onus exige-  
 re, & si quę similia. Triumuiri porrò sunt  
 Ecclesiasticis & Academicis negotijs  
 deputati, politici Scholarchę, qui uel Se-  
 natus mandata ad ministros ac professio-  
 res, uel horum postulata ad magistra-  
 tum deferunt, cæteraque inuicem peragé  
 da adornant, artium item doctoribus, lu-  
 dimagistris ac Magistratus alumnis sti-  
 pendia numerant, reddituum insuper ec-  
 clesiasticorum per uniuersam ditionem  
 rationes exigunt. Totidem sunt appella- III.  
Q tio-

tionum Commissarij, qui prouocatiūm siue ex agro, siue ciuium cōtra extraneos uel ediuerso, lites cognoscunt atque finiunt. Ciuitibus autem ab urbani prætoris foro si quid inter se litium habent, prouocare non licet. Terni præterea sunt singulorum cœnobiorū Prochotrophiorum ac sacrarum ædium curatores, ab Oeconomis rationes exigentes, ijsque consilia suppetidantes. Sed & moletrinarum inspectores terni constituuntur, qui singulis annis omnis generis frumentum, per aliquem eius artificij gnarum, molunt, ac mensuram, secundum quam farinam refundere tenentur, decernunt, quæcvelis etiam si quæ forte hinc oriuntur, præsunt. Præterea cum opus esse iudicant, assumptis baiulis & apparitoribus, intempesta nocte molitorum domus ingrediuntur, iumentorum numerum obseruant, de paleis, miscella, equorum pabulo, nonnihil auferunt, cuiuslibet nomine addito, ac in curiam mittunt. Singula postea utrum recte & sine fraude parata sint examinant, & fuscō aliquo deprehenso, pro rei magnitudine multam irrogant. Idem, si quæ pistorum

storum causa querelæ incident, censores existunt. In constitutis obstetricibus & earum querelis (ut in hoc mulierularum genere perpetuæ æmulationes esse solent) audiendis, terti itidem constituti sunt. Sed & totidem immode storum hominum, hoc est, eorum qui in publicis locis turpe & impurum quid dixerint aut fecerint, uel magistratus mandata ad morum ciuitatem spectantia, transgressi fuerint, castigatores atq; censores: ut eorum qui secretiores inter coniuges paroxysmos obortos, ad graviora mala diuertiaq; auertenda, sopiaū, adulteros puniunt, & hisce non diissimilia tractant. Nec plures sunt q; carnib. in macello æstimandis, uectigalque constituenti designatum munus habent, ut nec eorum, qui panum uenarium pondéra singulis hebdomadibus aliquoties explorant, & pistoribus, si quando eneræ proportionis legem sibi datam uiolant, ptenam infligunt.

Quaternarium faciunt pupillorum Quatuor.  
patroni, qui eorum bona consignata ha- uiri.

adlunt, tutoriæq; administrationis que-

*Q 2 relas*

relas ad eos perlatas, dijudicat, et si quos in curandis uiduarum & pupillorum rebus muneris sui non satis memores inuenient, ad officium redigunt. Idem quoq; Eleemosynæ publicæ curam gerunt, ac eius per sacras ædes Gazophylacia seu receptacula, constitutis temporibus recludunt, immissaq; congerunt. Idem est Vinariorum numerus, qui uasorum ob signatione ut in pandochijs uini uectigal rectè pendatur, curant.

Quinque  
viri.

Septemviri.

Quinqueviri autem sunt litium in urbe domesticarum, quæ finium, ædificiorumq; causa incidere solent, diremptrices, tres de Consilio urbis, unà cum fabris lignario atq; murario peritioribus. His ad litigiosæ rei inspectionem prudeuntibus, pertica mensorijs funiculis reuincta, præfertur.

Septemuiratus porrò non unus est, quibus enim matrimonialium causarum iudicium mandatum, tres sunt è minore, atq; de maiore Senatu duo, totidemque ecclesiæ ministri. Sed & litium campestrium arbitri, quatuor de senatu, tres rei rusticæ gnari de plebe feliguntur, qui prædiorum fines designant, terminos

con-

constituunt, Geodætas agunt, & eius generis negotia conficiunt. Hi quotannis prædiorum custodes diligunt mandantq; ut si quem peregrinorū cuiquam in uineis, hortis, uel agris damnum inferre offenderint, comprehendant, reliquorum commissa iudicio facto ad eos deferant. Eundem numerum compleant de consilio urbis, qui in reos questiones exercent, ac confessiones per secretariū ad Senatum referunt, cuius iniussu nemine tormentis afficiunt. Quæ res cùm haud parum molestiæ præbeat, uices eæ quolibet trimestri sequentibus ordine deferuntur, ut oneris eius nullus immunitus esse queat.

Decemviri præterea dicuntur, quan- Decemviri.  
quā duodecimviri sint potius, ex utroq;  
(ut antea memini) urbis Senatu, æquali  
numero electi, qui singulis hebdoma-  
dibus quinques plenunq; coacti, ciuiliū  
actionū iudicia exercēt, causidicis qua-  
tuor circumstantibus.

Postremò tredecimviri habentur, no-  
uem scilicet primariæ authoritatis uiri,  
ex sanctiore Senatu electi, unà cum Ca-  
pitib. quatuor, totius Reipublicæ flos,

præcipuiq; moderatores. Hi non solùm  
grauiores pacis belliq; res, priusquam  
ad senatum referantur, maturè delibe-  
randas sibi sumunt, sed & quæ ad consi-  
lium iam relatæ sunt, eorum consulta-  
tionibus sæpen numero relinquuntur.

Sunt præter enumerata plura magi-  
stratus munia, utpote Aedilium, officinæ  
numariæ, granariorum, uigilum, restin-  
guédorum incendiorum, mercenario-  
rum præfectorum & similia, quæ ta-  
men longius persequi, non est operæ-  
precium.

**Magistris urbis Senatu.** In supremo cœnaculo, ubi Holbeinijs  
celeberrimi Germaniæ Apellis (cuius  
exactum artificium Belgis atque Anglis  
etiam admirabile fuit) selectissimarum  
rerum picturæ uisuntur, maximum ro-  
tius urbis consilium, uiris supra 250 con-  
stans, consideret. Namq; præter sanctiore  
fiue minorem Senatum, tribus quælibet  
cōsilij sui reliquos, duodenos nēpe mit-  
tit, ad sc̄ito minoris urbis Prætore, ac ex  
tribus illic societatib. delectis aliquot ui-  
ris. Id summū totius Reipubl. synedrion  
Rariū tamen Senatus hic colligit, & nō  
pīsi eiusmodi rebus urgentibus, in qui-  
bus

bus universæ ciuitatis sententias audire  
necessæ est, quales sunt nouorum fœde-  
rum conciliatio, suscipiendi belli con-  
sultatio, & quæ his similia. Tantum de  
Reipublicæ forma breviter annectero  
uolui.

## C A P V T X V I I I .

*Minoris urbis situs, etas, domini. Theodori pa-*  
*rochiale templum.*

**E**s nunc ad minorem BASILEAM  
transeundi tempus. Sita ea est trans  
Rhenū in Germanico solo, firmis-  
simo elegantissimoq; ponte, pedum cir-  
citer sexcentorum, pilis ligneis septem,  
lapideis autē sex, subnixo, circa mediū  
serè coniuncta. Planitiam æquabilem oc-  
cupat, ac bifido riuo à Viesa fluvio dedu-  
cto irrigatur, aquis per omnes plateas  
deriuatis. Figura tetragonum oblongū  
refert. Ptolemæus tractū eum ultra rhe-  
nanum ad lacum usq; Acronium alpesq;  
Heluetiorum eremum, tabula quarta Eu-  
ropæ appellat, hoc est Hercyniæ syluæ Eremus  
Heluetio-  
rum.

etiam Rheni tractum contrà Rauracos

Q 4 adiu-

ad numero: quanquam ubi Vispiorum desertorumq; Heluetiae discrimen statuendum sit, nō annotet. Heluetij enim Cæsare teste (qui inter ueteres omnium optimè de ijs scripsit) Rhodano lacuq; Lemanno, Iura monte, Rhenoque olim continebantur. Quæ cum gens minimè obscura esset, ut quæ uirtute reliquos antecederet Gallos, populosa item, quod ex emigrantium censu patet: ideo nemorosus & in cultus ille quem dixi, Germanici soli secundum Rhenum traclus, ad Helueticum limitem pertinēs, eamq; gentem prospectans, Helvetica solitudo dicebat. Tēpore Constantij & Juliani Imp., quo Alemanni, quicquid regionum inter Mœnū, Danubiumq; in ipsis Hercyniae saltibus ad Rhenum extitit, tenuere, terrę de qua hic sermo, Vadomarius Alemannorum rex imperauit.

Verūm eo seculo nulla illuc, uel paucissima tantum, oppida fuēre, cum interim in Gallica terra, Augusta Raurica, Forum Tiberij, Gaunodurum, Vindonisa, aliæq; urbes ripenses & mediterraneæ castraq; extarent. Alemanni enim pagos atq; uicos colebant, necessitatibus autem

*Cur in Germanica  
Rheni ripa  
nullæ anti-  
qua oppi-  
da.*

autem tempore in sylvas se se addebat, quibus tuti latere nouerant. Quoniam uero Gallicis prouincijs ob earum cultum continuè inhiabant : idcirco Romani, ut ab illorum incursionibus tutæ essent, frequentioribus ciuitatibus, oppidis, turribus atq; castris ripensem Rheni tractum munire coacti sunt, quod etiam ad Danubij ripam alteram factum esse, animaduerti potest. Atq; hanc ob causam, ipsis in Germanico solo ob gentis istius ferocitatem atq; robur nullum stabile imperium obtinenteribus, prouincialium hæ terræ antiquitus ædificijs cultæ fuere, cum interim nullus ferè in ultero ripa prisca seculis celebris locus inueniatur. Brisiacum enim motem olim uel Rheno circumstuum, uel Galliæ continentri adiectum fuisse, multi haud leuibus coniecturis ducti, autu-  
mant.

Minor igitur Basilea urbs recens est, haud multum ante trecentos annos mænibus cincta. Villa seu uicus ante fuit, inferior Basilea nuncupatus, teste Santabano diplomate, cuius uerba antea re-  
censiui. Supra cum exiguo interuallo ma-

Inferior &  
superior  
Basilea.

galia quædam & piscatorum domus steterunt, quarum uestigia, etiamnum hodie ascendentibus ad Rhenum patet, quem uiculum superiorem Basileam dictum fuisse, seniorum relatione comprobatum est. Intermedio siue supremo cultoris atq; frequentioris pagi loco, communis parochia extitit, quæ nostra ætate Theodori nomen sustiner. Deficientibus postea remotioris uiculi habitacionibus, in unum fortè locum omnibus commigrantibus, superioris atq; inferioris appellationes desierunt, & ulterior Basilea simpliciter dici consueuit, antiquo Germanorum idiomate, *Enrun oder dirren Basil.*

Anno 1250 uillam adhuc fuisse Nicoli illuc facelli fundatio docet, quæ ecclesiæ in uilla ulterioris Basileæ ( ut in subiecto qius exemplo patet ) disertâ mentione facit. Annis autem dehinc uiginti octo fossa murisq; in urbis formâ redactâ, Germanicum quoddam instrumentum, in Vesaliu Clingentalensi Chartophylacio repertum, & à Henrico Cordigerio Episcopo Basil. datum, ma-

nife-

nifestissimè docet. Vnde eam diuturni belli tempore, quod Rudolphus Habsburgiorum Comes, priusquam ad Cæsaream dignitatem promotus esset, contra Henricum Neoburgensem, Episcopum gesit, urbis formam accepisse coniicio, ut contrà hostem uigilantissimum Basiliensibus quoquo modo incommode studentem, tuta esset. Quæ etiam fortè causa fuit, quod idem Præfus eos in fidelis operæ laborisq; exhausti pensionem hac immunitate donârit, ut in posterum quotannis, non nisi 40 libras (q̄ summa triginta duos aureos æquat) tributi loco pendere tenerentur, instrumenti testimonio, feria quarta post Bartholomei, anno 1270 exarati.

Ijs siquidem temporibus solum Basiliensem Episcopum plenum illius temporale dominium (spirituale enim ad Constantiensem præfulem spectabat) habuisse notū est, Hic Prætorem illis constituebat, qui cum uiginti Senatoribus magistratus munere fungebatur. Ciuiū sigillum, Episci pontificalibus amicti sub porta templi binis insigniti turribus pectore tenus prominentis, effigiem gerebat,

rebat. Ex equestri ordine in eius urbis consilio quondam fuisse inuenio, Geissriebios, uocitatos ab Vtingen, Tasuennenses, quos ego nostra ætate notiore nomine de Tachsfelden appellatos, sigillo rum indicio colligo: utriq; enim gallum gallinaceum in insignibus habuerūt, ac Episcopi uasalli fuere. Titinsheimenses item, & alios. Eosdem quoque ab Episcopo creatos & in hunc Senatum missos esse, ex more formaq; maioris urbis Politiæ, uero consentaneum est. E cæteris porrò clarioribus familijs ei consilio assuere quondam, Emmeracenses, à Senheim, de Hiltalingen, sum Trauben, & hodie etiamnum celebres Brandi.

Basil. mi-  
nor Austrio  
duci pigno  
ris loco  
data.

Durauit hic sub Episcopis status, usq; ad præsulatum Iohannis nati è Comitib. de Vienna, quorum insigne est argentea aquila in scuto aureo. Is enim nescio utrum cōfiliij tenuitatem an temeritate multa Episcopatus dominia iuraq; uel prorsus dissipauit, uel alieno ære in immensum grauauit. Namque contra ciues Basilienses, ob ignotas mihi causas, gravissimas inimicitias exercens, ad cito pollicitationibus quibusdam Leopol-

do

do Austrię duce, eos ita persequutus est, ut urbē quoq; aliquandiu incassum obse derit. Tragœdia fuit minimè momentanea, atrocissimis per eam belli exemplis editis. Arbitrorum postea interuentu pace composita, cum Episcopus duci ad refundendos belli sumptus, qui ad 30000 florenorum summā ascendebat, soluendo non esset: ciuitatem ei minorem pignoris loco dedit, eumque anno 1375 in possessionem misit. Quo facto, Austrius cum citerioribus Basiliensib. ita transegit, ut quamdiu uni partium bellum quodcunq; incideret, tamdiu reliqua contra afflictam hostile nihil molitur. Quatuordecim igitur deinceps annis Austriaco imperio minoris Basileæ ciues paruere, unde & Duci suo anno 1386 bello contra Heluetios militarūt, amissis uiris octo clade Sempachiana, qua Dux cum multa nobilitate cæsus fuit.

Mortuo uerò bellico so illo Pontifice, Himerius è Ramsteinijs baronibus successor, ciuitati (quæ omnes emergendi libertateque fruendi honestas occasiones prouidè captabat) magis propitius, anno

no 1389 ei minoris urbis redimendæ, cōpiam fecit. Biennio pōst, cum Himerius (animaduerso quod ob ingentia æris alieni grauamina, Episcopatui regundo minimè sufficeret) se principatu abdicasset: Fridericus Blanckenheimius episcopus Argentinensis, Basiliensi administrator datus, ut alijs se expediret debitis, urbē hāc maioris collegij assensu ciuitati Basiliensi pro 22000 florenorum summa, fiduciaria uēditione assignauit. Sequenti dein anno 28800 florenis super acceptis, perpetuæ uēditionis titulo omni in eam iure celsit, Bonifacio 9 Pont. Max. approbāte. Ab eo igitur tempore utraq; urbs in unā coaluit, ita quidem ut abolito minoris Senatu, ex utraque sine delectu in Senatum unum, cui summa rerum omnium administrandarum potestas, viri idonei cooptentur. Iudicium tantum illic ciuale (ob causarum multitudinem) reliquum est, cui exercendo, ex utraq; ciuitate, cum prætore assessores quotannis designantur: capitäles enim causas, exceptis homicidiorum actionibus, magistratus ad prætorium maius reuocat. Per cætera opifices uni-

uniuersi ad maioris urbis tribus reuocātur, nec est ulla præterquam ciuilis iuris-  
dictionis distinctio reliqua.

Supremum huius urbis latus Meridiē Theodori  
spectans, parochia Theodori & Carthu- parochia,  
sianorum magnificum cœnobium, clau-  
dunt. Illā quidem semotiore loco à flu-  
minis ripa, antiquissimam esse & quum  
in iustæ uille frequentiam habitationes  
illic excreuissent, excitatā, nil ambigen-  
dum. Ius sanè patronatus Burchardū e-  
piscopū, Santalbanensium fratrū præ-  
fidi ante secula quinque concessisse, ex  
præcedentibus patuit. Quemadmodū  
autem temporis illius memoria nulla  
extat, quādo prima huius loci rudimen-  
ta hominumq; consociatio orta: ita nec  
illius, quando ne politica eorum uita nu-  
minis cultu careret, hic religioni exer-  
cendæ locus designatus sit. Proin monu-  
menta quæ in eo extant (quibus recens  
nostra ætas, ut ad posteros domesticarū  
uirtutum exempla transmitteret, erudi-  
tis Epigraphis præ cæteris induluisse ui-  
detur) referenda.

Occurrit primū Iohannis Kilchmanni Kilchmann  
pelata, celso in loco supra suum condito- ni,  
niūm,

rium suspensa. Fuit ea gens à Friderico tertio nobilitate donata, è qua hic, cum Ludouico filio, celebratissimi suére. Vterq; in Republica claruit, uerum ille sepulchri Dominici uisitatiōe equestribus honoribus auctus, anno huius seculi septimo in exercitu Heluetico, quem Galli ad expugnandam Genuam duxere, 500 Basiliensium capitaneus fuit: hic uero cum sine liberis ei decedendum uide ret, amplissimas ædes, unà cum substan tia reliqua pro conciuibus suis in Xenodochij seu Nosocomij fundationem erectionemq; testamento legauit.

Quinetiam Holzachiorum genus nō  
Holzachij. procul abinde tumulos habet, unde & politica prudentia atq; doctrina clari aliquot hac ætate ciues prodiere. Eucharij primūm duo, quorum unus post pretoritiam illic dignitatem gestam, in ordine Senatorio ad annum usque 1521 insignis fuit, quo etiam iura sua maioris Hüningæ (pagus is est infra urbem ad Rhe num proximus, ubi Hunnos siue Hungaros armis quondam regiones hasce deuastantes castra metatos fuisse, fama fertur) quæ à nobilibus Gothianis, Austriorum

striorum uasallis, pro annua pensione  
cōductionis iure obtinuerat, Magistra-  
tui Bassiliensi assignauit, cui etiamnum  
eodem titulo istae Hunnorum reliquiae  
parent. Alter autem prioris filius patri-  
am arte Medica multis annis ornauit,  
proleq; haudquaquam degenere locu-  
pleteauit: cui parentaliorum loco seques  
inscriptio posita.

## D. O. M. S.

EVCHARIO HOLZACH patri pientiss.  
non tantum ut supremum ac debuum pietatis mu-  
nus: uerum etiam ut testimonium exhiberent, Sun-  
dem uirum Opt.totos quos honeste & bene uixit  
annos LXXII, iustis ingenij & forunæ opibus, nu-  
merosa prole, Medicina clarum, Ciuibus suis sem-  
per profuisse, obsuisse nulli: HIERONYMVS  
HOLZACH F. cum fratrib. ac sororibus mœstiss.

D. MER. P. F. C. Spiritum Deo redd. Anno

M. D. LVIII, Eidib.

ixbris.

At ut ternarium gentis huius consti-  
tuam, Onophrium etiam prædicti fra-  
trem aduoco, cuius memoria, ob adama-  
ta promotaq; studia Academica, quo-  
rum patronum (Deputatum uulgas ap-  
pellat) aliquadiu publico nomine egit,

R. neu-

neutiquam pœnitenda, quem etiam ob eloquentiam sapientiamque, siquidem longior ei uita cōtigisset, summi honores politici mansissent.

Theodo-  
rus Brand  
Consul

Sed hic mihi D. Theodorus Brand, sub transuersa pergula terra clausus, in primis memorandus fuerat. Is enim cū in ipso ætatis flore tribus memorabilib. Heluetiorum apud Insubres prælijs, binis, Nouariensi scilicet atq; Marignano contra Gallos, Picocciano uero pro ijsdem, interfuisset, quod Fortitudini tribuendum, ob multifariā dein experientiā eloquentiæ dono conditā, in moderāda Republ. singulari dexteritate polleret, quod cæterarum uirtutum architectoniæ Prudentiæ est, humanitate præterea singulari erga omnes, afflictos præferens, uteretur, ita ut ædes suas consilijs egenis, refugium constituisset, quod uerae Pietati adscribendum: Consulatus dignitate anno 1544 accepta, tantum sibi authoritatis & fauoris conciliauit, ut à toto ciuium cœtu non solùm ut dominus suspiceretur, sed potiùs ut patronus amaretur. In cuius rei testificationem, cum annis tandem fessus, uesicę exultatio-

zionibus extictus esset, totam urbem  
atrat habitu mortui exequias profe-  
qutam, suumq; luctum testatam fecisse,  
memini. Epitaphium in faxo tale est:

I. CHR. D. S.

## THEODORO BRANDO

QVEM PRUDENTIA, VSUS RERVM MAG.  
PIETAS, ET CVM SINGVLARI  
HUMANITATE, GRAVITAS,  
PRISCIS ILLVSTRIBVSQ. VIRIS  
PAREM FECERVNT:

QVINQVIES TR. PL. SEPTIES COS.

P. P.

QVO MAIORVM VIRTVS  
PRÆLVGERET POSTERIS,  
PATRI OPTVMO:

BERNHARDVS BR. F.

MOERENS POS.

IN COELVM,

VBI REIPVB. PIIS RECTORIB.  
PARATVS EST CLARISS. LOCVS,  
CONCESSIT,

III NON. OCTOBRIS,

AN. CHRISTI

M. D. LVIII.

STATIS SVÆ LXX.

R 2 Iaco.

Jacobus  
Trucken-  
brot.

Iacobus autem Truckenbrotus humi  
lliis consors, Theologus fuit, qui cum  
annis ferè quadraginta, atque inter eos  
non minus uiginti quinq;  
hoc in tem-  
plo gregem Christi pauisset, cano capi-  
te, pestilentiae sauitia uictus, anno hu-  
ius seculi sexagesimo quarto, 19 Kal. Se-  
ptembris, etatis 74, occubuit. Cuius sepul-  
chrum quidam amicorum hisce uersicu-  
lis ornare uoluit.

*Quisquis ad hunc ueniens tumulum subsiste uiator,  
Fortè quid hic cernes, quod meminisse iuuet.  
Hic iacet & fruitur tranquilla morte iacobus  
Truckenbrot, cuius fama perennis erit.  
Nam quod in Christi uero præcone requirat,  
Omne uelut propriam nouerat ipse domum.  
Cumq; Dei uerbum docuisse lustra per octo,  
Iuit in æternæ limina celsa domus,  
Incola ubi coeli uelut astra micantia fulget,  
Qui multis fidei lumina clara dedit.*

Knaeri.

Exteriùs ad Borealem parochiæ pa-  
rietem Falconarij busta habent, ante du-  
centos annos apud Micropolin noti. E-  
quibus quāquam & religiosi quondam,  
& militares politiciq; functionibus ad-  
hibiti plures, orti sint: inter eos tamen,  
Henricus urbis prothonotarius ob in-  
dustriam

dustriam patriæ probatam, illustriorem  
sibi famam comparauit, quem & suas ob-  
uirtutes, linguarumque præter nativam  
Latinæ & Gallicæ usum, Cæsar Ferdinan-  
dus, cùm ad eum anno 1563 publico Ba-  
silienſium nomine, Oenipontem legatū  
egiffet, nobiliū societati adscripsit, quod  
etiam marmorea illic tabula in hunc mo-  
dum testatur.

D. O. M. ET CHR. S.

**HENRICO FALCKNERO**

VLRICI TR. PL. F.

BASIL. REIPVB. SCRIBÆ PRO

FIDELISS. Q.

QVI CVM AN. XXV. ASSID. OPERAM

R. P. NAVASSET:

RESQ. GRAVISS. LEGAT. ETIAM

FVNCTVS PERFECISSET,

ATQ. A' D. FERD. IMP. IN TEST.

VIRTVT. NOBILITATIS INSIG.

ORNATVS ESSET:

EXCESSIT E' VIVIS MAGNO

SVI DES. PAT. ET LIB.

RELICTO,

ETATIS SVÆ AN. LX. CAL. DEC.

AN. S. HV. M. D. LXVI.

FILII MOESTISS. P. O. PIE' POS.

R. B. CAPUT.

## C A P V T X I X.

*Carthusianorum cœnobium, illustrium illic ho-  
minum memorie.*

Jacobus  
Zibolius  
Carthusia  
author.

**C**œmiterio templi huius, frātrum Carthusianorum monasteriū amplum magnificentumq; penē contiguum est, uallis diuæ Margaritæ nuncupatum, inter cætera totius urbis monachorum sodalitia, ortu nouissimū, sumptuosis uerò structuris facile primum. ~~Fu~~ceo loco quondam Episcoporum Bafiliensium domicilium, dum urbs ea illorum parceret imperio. Non quod illic, maiore ciuitate (ubi cathedralis basilica existit) neglecta, extra diœcesis suæ limites, sedem sibi delegerint: sed quod morte Principum, qui nobiliaribus suæ ditionis locis proprias habere domos consueuerunt, si quando per dies aliquot eò secedere lubuit, hoc in loco diuerterint. Eum cum adiuncto pomario uinetoq; Jacobus Zibolius Tribunus plebis, cui Carthusiensis sectæ religio, ob arctissimum secretioris uitæ morem, præ cæteris sanctior uidebatur, ut huic plantan-dæ lo-

dæ locum acquireret: Gunthero Mare-scallo Cōsule, anno 1401 mense Decem-bri, à Senatu Basil. (ad quē domus ea cū tota urbe em priōis titulo spectabat) 600 Rhenanis aureis redemit, ac pro templo erigendo, cæterisq; necessarijs structu-ris, suarum facultatum haud pœnitendā partem liberaliter impendit, redditibus præterea instruxit, ita ut eremī huius cul-tissimi fundator fuerit, anno 1408 ante principem aram amplissimis exequijs funeratus.

Burchardus uero filius, patriæ & di-gnitatis & pietatis hēres fuit. Is enim pa-Bernardus  
rētis sui institutū nō solum ratū habuit,  
Zibolius.  
uerū etiā amplioribus adiicijs exor-nauit atq; ditauit, unā cum coniugibus suis Agnete de Eptingen atque Sophia Rotbergia. Tribunitio magistratu insi-gnis, humanæ fragilitati renūciauit, an-no 1433, Kalendis Augusti, iuxta patrios cineres conditus.

Dum ecclesiarū Christiani orbis pro-ceres, celebrandæ synodi causa (quæ ab anno 1431, Kalendis Sextilibus, usque ad 4 Kal. Iulij anno 1448, annis septen-de-cim integris, uarijs procellis iactata du-

R 4 rauit)

rauit) conuenissent, recenti huic religio-  
sæ societati adeò impensè fauere ui-  
si sunt, ut ingens illorum numerus be-  
neficij, liberalitate, officiorumq; ua-  
rietate eam certatim ueluti prosequutus  
sit. Ex illustriorib. alibi uita functis fu-  
re, Julianus S. Angeli, Ludouicus Arela-  
tensis, Nicolaus S. Crucis eiusdem reli-  
gionis sectator, Dominicus S. Petri &  
Pauli Tarraconensis, Iohannes S. Petri,  
Otho S. Potentianæ Dertusensis, Geor-  
gius S. Mariæ trans Tyberim Vicensis,  
Cardinales, quinetiam Felix Pontifex.  
Archiepiscopus item Strigoniensis, Al-  
uares Conchensis, & Alphonsus Burgen-  
sis, episcopi, Castiliæ regis oratores, a-  
lijq; minoris status quamplurimi.

**Cardinalis**  
**S. Eustachij,**

Atq; hi multò magis, qui pei ea tem-  
pora uita functi, & ad cœlestem synodū  
translati, hic sibi quietis locum delege-  
runt. Inter eos fuere Alphonsus de Cu-  
rillo, S. Eustachij Cardinalis, qui cū an-  
no 1434, quinto Kal. Martij, purpuram  
cum uita exuisset, intestinis eius retro  
summam aram terræ mandatis, cadauer  
aromatibus infectum, ante eandem in  
dextro latere, 15 Kal. Aprilis conditum  
est.

est, galero cardineo superiori pauimen-  
to è sublimi in rei memoriam appenso.  
Huic paulò pòst alter quoq; accessit, Lu-  
douici sc. è Teccensibus ducibus postre-  
mi, Patriarchę Aquilegiensis, anno 1439,  
14 Kal. Septembbris peste extincti, habitu  
Pontificali loculo suo illati. Versus alte-  
rū latus recubat, Thomas V Vigorniensis  
Episcopus Anglus, qui pridie Kalēd. Se-  
ptemb. anno 1433, in uiuis esse delijt.

Ludouicens  
Patriarcha  
Aquilegi-  
ensis.

Sunt & illic singulis marmoribus clausi,  
Suederus de Culenborc, Traiectensis epi-  
scopus, Iohannes item Langdon, Theo-  
logiæ Doctor ordinis Benedicti, episcopus  
Roffensis Anglus, atque iuxta lacra-  
rij ostium, Franciscus de Bosis, I. V. D.  
episcopus Cumamus, Anno 1434, 5 Idus  
Septemb. humanæ imbecillitati exem-  
ptus.

Inter Pontifices eos iuxta sacerdotis  
sedem, Ludouicus Pontanus, patria Spo-  
letinus, humatus est, ab altrice urbe Ro-  
manus dictus. Fuerat is regis Arragonij  
nomine, unà cum alijs aliquot prælatis,  
ad Concilium legatus missus, Iuris utri-  
usque Doctor, Prothonotarius Pontifi-  
cius, insigni eruditione, memoria diui-

Ludouicus  
Romanus.

na atq; admirabili eloquentia pr̄editus,  
cuius specim̄na in gestis Concilij duo-  
rum annorum, apud Sylvium extant.  
Hic atroci pestilentia, quæ anno 1439,  
tantum hominum numerum interemit,  
ut eam funerum multitudinem arborū  
folijs, extremo autumno in terrā deflu-  
entibus, idem Aeneas comparārit, 5 I-  
dus Iulij, sublatus est. Quem idem au-  
thor tali Epicedio luxisse fertur, quod in  
tabella descriptum, ad nostrā usq; æta-  
tem de muro pependisse, à reuerendo so-  
ne Io. Sphyraēte, accepi:

Si mille aut tot idem rapuisses usq; uirorum  
Pestis, adhuc poteram sœua parcere tibi.  
Viens quo nasquam fuerat pr̄stantior alter,  
Extinctum potius reddis iniqua lues.  
Quem fletis Leges, quem fletis iura, sacriq;  
Canones: obiit quem coluistis herus.  
Hic uos ornārat, uestras ubicunq; fuerunt  
Soluerat ambages: nunc sine uoce iacet.  
Heu uoces, heu uerba uiri diuina, memorq;  
Ingenium, quo uis nunc tua multa loco est?  
Heu Romane iaces, quo non Romanior ullus  
Ante fuit, quo nec fortiè futurus erit.  
Te pater et charus retur modo uiuere frater,  
Heu quantos gemitus ille, uel ille dabit?

Te Roma

Te Roma atq; omnis plorabit Hetruria, teq;

Tota petet lacrymis Itala terra pijs.

Te nunc Concilium, te nunc ululatibus unum,

Ipsa quoq; extinctum querit Ecclesia.

Heu uanas hominum menteis, heu pectora cæca:

Cuiq; dies, certum est, fata dedisse suos.

Et nos cum Superi statuent, uenientius ad illos:

Nemo parum uixit, cui bona uitæ fuit.

Recensui primariæ notæ Patres, quibus hic locus tam uiuis quam mortuis, dum Synodi causa hic agerent, præ cæteris placuisse uidetur, quorum item fauore Pythagoreæ huic societati tantum splendoris accessit. Vniuersos enim Cardinalium familiares, Principum, Episcoporum oratores hic conditos, recensere minime necessarium opinor.

Sed inter enumeratos, qui sodalitatē hāc pro sua amplitudine subfidijs haud uulgaribus confirmârunt, pauperculam eam referre non indignum fortè fuerit, quæ ut huic religioni adiumenti non nihil adderet, singulis hebdomadibus minutissimum Basil. monetæ denarium afferre, seq; fratrum precibus commendare assueuerat. Agesilai namq; liberalitatem, qui rebus feliciter gestis Apollini Del.

Delphico centum argenti talenta bienio cōtulit animo e quas se uideri potest. Cum enim id uiuente ipsa à monachis neglectum, post mortem eius demum animaduersum esset, et si quæ nam ipsa fuisset, rescire amplius nō potuissent; ut tamen illius apud posteros memoria quædam extaret, hanc ceu effusissimæ pietatis notam, annalibus suis cōfcreare uoluerunt.

**Vinādus.** Monastico huic Collegio, Vvinandus quidam, Carthusiensium apud Argentinam præses, primus præfuit, atq; huius ordinis instituta legesq; tradidit. E' successorib. eius clarioris notæ fuere, **Henricus Arnoldi Saxo**, qui patrum in generali congregatiōne notarium egit, scriptisq; suis, ut sunt Harmonia Euangeliæ, sanctorum historiæ, &c innotuit, decessit anno 1487.

**Io. de Lapide.** Eodem anno illustres duo uiri solitariū hoc uitæ genus amplexi sunt, Iohannes de lapide, Sorbonicus è Parisien sium schola Theologus, qui Realium doctrinam primū Academiæ intulit, qua factum, ut Philosophiam profitētes, dissimilibus opinionibus ducti, anno 1470 in

in consilia duo distraherentur, quorum  
hi de uia moderna, Verbales autem de  
antiqua esse dicebantur, quotānis item  
bini de illa, totidemq; de hac secta Decu-  
riones legerentur. Durauit dissidium  
hoc, ad annum usque 1492, quo ex biuio  
hoc reducti, abolitis partium nominini-  
bus, commune iter arripuere. Fuerat  
Theologus hic, Canonicus Basil. ac sum-  
mi templi ecclesiastes, qui abdicato tan-  
dem eo munere, anno prædicto cucul-  
la sumpta, in hanc concessit eremum.

Eodem quinetiam sese contulit, Hie-  
ronymus Schecapulius, Iohannis trib. Hierony-  
plebis Basil. quondam filius, iuris Licé-  
tatus, iuuenis animi, corporis ac fortu-  
næ dotibus cumulatissimus. Hūc enim  
(præterquam quod ei, haud ignobili lo-  
co nato, cognatio ampla, possessionesq;  
non uulgares essent) corporis decus &  
eruditio cùm uirtute iuncta, commenda-  
bant. Is annos non plūs quàm ui-  
ginti sex natus, de relinquendo mundo  
consilio inito (quanquam multa essent,  
quæ eum à proposito hoc abstrahere, &  
in humana conuersatione, in qua splen-  
didè agendi facultas ei non decerat, reti-  
nere

nere potuissent) Conuentui huic uniuersas suas opes, in Consistorio publico, liberè donauit, ita ut nihil retinereret, eumq; sine mora in possessionem mitte ret. Fratribus postea, cognatis atq; amicis liberali conuiuio exceptis, ijsque uelut in aliam uitam cōmigraturus, ualedictis: coccinei coloris ueste amictus, flauo capillo, formaq; insigni cōspicuus, suis eum comitantibus, monasterio hoc sese includi passus est, non sine multorum lacrymis, pridie Kal. Iunij, anno prenotato, festo Pentecostes monachali habitu indutus. Atq; eum tanta uitæ temperantia gesit, ut annos post aliquot cæteris p̄ficeretur: anno demum ætatis septuagesimo quinto, salutis uero 1536, naturæ debitum exoluit.

Hic pro secundo fundatore habitus fuit, quod præter adytum suis impensis concameratum (quod & Felix Pontifex ante facere cogitauerat) Cœnobium ædificijs plurimis ornauerit, atque una cum tota progenie multis beneficijs affecerit. Inter ceteras structuras hybernaculum est, amplum satis, cuius tabulata superiora arte glyphica elegantissimè elabo-

elaborata, ita inter se contignata sunt, ut uno tantum clavo quo minus decidant, uniuersa contineantur.

Fratres habuit duos, Ludouicum atq; Iohannem mercatores, neptemq; ex fratre natu grandiore Mariam, Mörando à Brunn, viro inter Senatorij ordinis patrios accito, nuptam, matronam pientissimam, multisq; uirtutibus ornatam. Ea inter reliqua pietatis opera pro futuro Theologo, Stipendiū liberale, per Cœnobij priorem, Maioris Ecclesiæ præpositum atque Rectorem cōferendum, instituit, quod primū M. Casparus Seiler Etlingensis Marchicus, anno 1517 impetravit.

In interioris cæmiterij ambitu, quem ipsi minorem Galilæam appellare consueuerant, prope ostium ubi Cōuentus quondam templum ingrediebatur, Amerbachiorum monumenta sunt, qui eruditione atq; sapientia non solūm propriam gentem, sed totam etiam urbem illustrarunt. Iohannes quippe Amerbachius & propriæ uirtutis & generosæ posteritatis laudibus clarus, quid arte Chalcographica præstiterit, ex Orthodoxo-

Amerba-  
chij.

doxorum Ecclesiæ patrum, Iurisq; Canonici editionibus, ut cætera raceam, Theologis ac Iurisconsultis præcipue notum est. Bibliothecam is huius monasterij, quam uix bina spacioſa cœnacula capiunt, magno librorum numero auxit, quinetiam huius religionis statuta excudit. Filios habuit tres, Brunonem Basiliū & Bonifacium, uiros doctrina, linguarumq; cognitione & usu celebrimos, ab Erasmo Roterdamo (cuius iudicium per ea tempora Monarchæ atque Principes totius Christiani orbis magnificere) uehementer adamatos atque laudatos. Rectè autem Cicero eam ueram esse laudem censuit, quæ ab ijs proficisceretur, qui ipsi in laude uersati essent.

Bonifacius  
Emerba-  
chius.

Inter eos tamen Bonifacius tantam Legum cognitionem, iurisq; scientiam sibi comparauit, ut non solùm uulgaria Doctorum insignia ab Auinionensi Gymnasio mature acceperit, sed etiam docendo, consulendoq; inter illustres Iurisconsultos locum neutiquam postremum inuenierit. Publicam sanè iuris ciuilis interpretationem in Academia Basil. mul-

gorum

zorum annorum curriculo tanta dignitate sustinuit, ut illius autoritate præcipue stetisse uisa sit. Quinetiam Reipublicæ ambiguis difficultibusq; causis de iure respondendo, tales se declarauit, ut Basiliensium Papinianus meritò dici potuerit. Qui quidem sapientiæ radij lögè lateq; ita emicuere, ut exteris Principibus de summis rebus consilia saepe rogatus dederit amplissimisque præmijs propositis euocatus, patriam deserere noluerit. Erasmus sanè uirtute & eruditione eius ita delectatus est ut inter tot amicos, hunc solum testamento hæredem fecerit. In cuius hereditatis creatione laudabile, cum ad illius summæ amplificationem, quam moriens pauperibus studiōsis, uirginibus alijsq; honestis personis subsidio egentibus, destinārat, propria pietate motum, sua sponte iuri suo cessisse in multis, expressa testatoris uoluntate ad ipsū spestantibus. Ætate tandem grauis, anno supra climaactericum quarto, 8 Kal. Maij, salutis 1562, placide conquieuit, parentum tumulo professorum humeris illatus, ubi isthac inscriptio legitur.

Quo nullus suo seculo fuit, cum in excudendis  
libris nitidior, quod sumptuosæ dexteritatis est:  
tum in ijsdem ad ueterū exemplarū fidem restituendis  
diligentior, quod eruditionem & laborem re-  
quirit: IOANNES AMERBACHIVS hic cubat,  
cum BARBARA ORTENBERGIA singularis  
pudicit. foemina, ac BRVNONE BASILIOQ.  
filii, præproperè quidē hinc ereptis, sed antè tamē  
eruditione sua trilingui per laboriosiss. Hierony-  
mian. operū recognitionē, quibus nunc docti u-  
biq; gent. fruuntur, Orbi toti commendata: BO-  
NIFACIVS AMERBACHIVS parentib. & fra-  
trib. opt. sed & MARTHA FUCHSIÆ uxori  
suæ, Christianarū uirtutum dotib. incomparabili-  
cū VRSVLA. HESTERE duab. filiolis hic quie-  
sceti, itē sibi ipsi, liberis suis superstribus, FAUSTI-  
NAE, BASILIO, IULIANAE, posterisq; in hu-  
mane fragilitatis memoriā F.C. Parentib. fratri-  
busq; iam olim, uxore uero in ipso ætatis flore cum  
filiolis haud ita dudum, expectandi censorij  
nouiissimiq; diei ergo, collocatis.

ANNO M. D. XLII.

C A P U T

## CAPUT XX.

*Cœnobium Clarissarum atq; Clingiacum. San-  
nicoleum sanum.*

**M**edio longitudinis tractu ortum uersus, amplissimum quondam Clarissarum Cœnobium, sub Abbatissæ disciplina agentium, mœnia contingit. Eas Henricus Minorita, Basil. episcopus, eius tū urbis dominus, è Gna-  
denthalésibus maioris ciuitatis Vestali-  
bus, hunc in locum, ampliandæ eius re-  
ligionis causa, circa salutis annum 1276 deduxit, abrogatis fortè Penitentiarijs  
tum illic degentibus, ut ex sequenti in-  
strumento, de erigendo condendoque  
Clingenthalensium uirginū Collegio,  
coniectura sumi potest, de quo ut Lecto-  
ri cognoscendi ansam præberem, inte-  
grum adscribere uolui.

Clarissarū  
monaste-  
rium.

*Vniuersis hanc literam inspecturis, Frater H.  
prior & Conuentus fratrum de pœnitentia Iesu  
Christi Basiliens. notitiam subscriptorum. Noueri-  
tis, quod cum Venerabiles in Christo soror L. prio-  
rissa & Conuentus sororum in Klingintal, in no-  
nagm siue ulteriorens Basileam cupiant se transfer-  
re;*

S 3 pe:

re: nos desiderio earū & petitioni benevolū pre-  
bentes assensum, ut Claustrum ibidem & ecclesiam  
construant, que à nostra distet ad spatium non mi-  
nus quām centum cannarum, tenore præsentium li-  
beram concedimus facultatem. Non obstante pri-  
uilegio, quod de non ædificando prope nos infra  
mensuram CXL cannarum, contrà quosdam e-  
uentus nobis à sede Apostolica est indultum. In cuius  
rei testimonium præsens scriptum sigillo nostro se-  
cimus communiri. Nos Priorissa & Conuentus mo-  
nasterij supradicti, fideliter promittimus & spon-  
demus, quod iam dictæ mensuræ spatio contentæ,  
infra ipsum nostram nullatenus ecclesiam construc-  
mus, nostrum Sigillum in robur ueritatis præsentि-  
bus appendentes. Ego frater H. prior & seruus fra-  
trum Ordinis Prædicatorum Basiliensis. sigillū huic  
literæ appono in prædictæ testimonium sponsionis

Actum anno Domini, M. CC LXXXIII,

v Idus Ianuarij.

Hinc igitur pater, sub initiu Clin giaci  
monasterij, Pœnitentiam sumpto faccio  
professos, loco admodum uicino habi-  
tasse, cui è religiosis cōuentibus Claris-  
sarum isthoc cœnobio nullum propin-  
quiorem noui. Per cætera quid de eo af-  
feram, nil datur, nisi quod è prima nobis-  
litate multas hīc uitam transegisse repe-  
rio.

rio. Nam & Rudolpho Marchioni de Hochberg, cui prouinciae Rötelanæ & Suseburgensis parebant, anno 1419 filiae tres illic ordinem professæ, peste occubuerunt. Ita enim nobiles, Comites atq; Principes, quibus numerosa proles, filiorum filiarumq; partem religiosæ uitæ emancipare, inq; Cænobiorum claustra, quæ hinc nobilium Hospitalia dici cæpta, abdere soliti sunt, eò plerunque fine, ut cæteris propagandæ familiæ res seruatis, tanto ampliores facultates relinquerentur. Hinc filias nonnunquam tenella ætate, qua illis de continentia dono constare nondum poterat, in hosce gurgites defmerserunt, unde id minimè postremam fuisse causam arbitror, quod pleræque tam illustres amplæque familiæ defecerint. Templum iniutus precibus & concionibus hodie servit: propugnaculum autem retro illud anno 1533, cum plebs magna anno hæc angustia premeretur, excitatum est.

De Sannicoleo fano, quod in opposito latere ad pontem Rheno adiacet, qua occasione constructum sit, nil præter sequentis instrumenti tenorem afferam.

Vniversis Christi fidelibus præsentem literam  
inspecturis, Heinricus Præpositus maioris Ecclesiæ  
Basiliensis, Capellanus Domini Papæ, rector Eccle-  
siæ ulterioris Basileæ, Constantiensis dicecesis, rei no-  
titiam subnotatæ. Nouerint uniuersi præsentes &  
posteri, quod cum parochialis Ecclesia uilla ul-  
terioris Basileæ, à parochianis & populo adeo sit re-  
mota, quod potius alienas ecclesias frequentant,  
quam ipsam: Nos sentientes exinde damnum spi-  
ritale, uidelicet subditorum contrâ suam matrem  
ecclesiam delinquentium, & seculare, uidelicet in  
eo, quod eidem Ecclesiæ in suis prouentibus, scilicet  
oblationibus deperit euidenter: habito prudentum  
conflito, Capellam in eadem parochia, in loco pa-  
rochianis & populo competenti, iuxta pontem  
Rheni Basileæ, que prædictæ parochiali Ecclesiæ  
perpetuò debet subesse, tāquam filia suæ matri, ac-  
cedente cōsensu diocesani loci, uidelicet, Reueren-  
di patris Ebirhardi Episcopi Constantiensis, nec  
non religiosorum uirorum Henrici præpositii &  
Conuentus sancti Albani Basiliensis, antedictæ Ec-  
clesiæ patronorum, duximus construendam,

&c. Datum Basileæ, anno Domini,

M.CC.L mense Iulio, Indi-  
catione XIII.

Borei lateris dimidiā amplitudi-  
nē, Clingenthalense Cœnobium om-  
nium

Ulterior Ba-  
silæ uilla,

nium utriusque urbis maximum, occupat, eaque plaga urbem finit. Enatum est id anno 1273, à fratribus sectæ Augustinianæ, sub Dominicanorum regimine uiuētibus, Henrici Cordigeri Basil. episcopi tempore, qui ad Moguntinum pōificatum postea uocatus fuit, atque ut monachus erat, ita sese monasticæ uitæ fauorem promotoremq; declarauit. Fuit hæc tertia habitatio, in quam istud examen uirginum cōcessit. Primum enim ad Ecclesiam S. Leonardi, in Hüseren prope Rubeaquum, superioris Alsatiæ oppidum, locum sibi delegerant. Extrah diploma, quo illæ sub Petrinæ Cathedræ protectionem ab Innocencio 4 Papa, sub dato Lugduni, 13 Kal. Octobris Anno 1245, receptæ sunt. Cum autem tenuiore illic fortuna uterentur, atq; ex proprijs redditibus commodè uiuere non possent, Ulricum baronem de Clingen, cui inter cæteras ditiones, oppidum Clingnouium quoque parebat, partronum naclæ, in Hercynij nemoris conuallem Vuerram commigrarunt, Adeleide de Vtinheim priorissa, in qua prædictus heros, anno 1256 uberiorem ijs possessio-

Ulricus Baro de Clingen.

S 4 nem,

nem, atque illius parochiæ patronatus omniumq; pascuorum iura donauerat, postea quoque syluam ingétem tolerabili precio uendiderat. Cumq; eodem anno uniuersam illius Ecclesiæ dotem cum decimis competentibus impetrassent: Eberhardus Constantiensis Episcopus, Capituli sui consensu, reliqua quoque eiusdem iura prouentusq; eorumdem usibus indulxit, ea tamen conditio ne, ne parochia diuinis fraudaretur officijs, 3 Nonas Iunij, Anno 1262. Illic igitur Cœnobium condidere nouum, quāquam minime sumptuosum, quod in honorem fundatorum Clingental appellaue runt. Ædificij illius nihil amplius præterquam prati nomen, ubi quondam stetit, superest.

Clingētha

lenses ex

Hercinij ne

walli Basile

am trāslati,

Verūm nec illic diuturna illis mansio fuit, ob bellorū fortè tempestates, qui bus uarijs fuere periculis damnisq; ob moris con noxiæ. Rudolphus enim Habsburgij Comes, bello eo quod contra Henricū Basil. episcopum gessit, sub fine anni 1272, castrum VVerracense ui occupauit, quod citra rapinas abactamq; prædam uix fieri potuit. Quò igitur tutiore tan dem

dém loco agerent, curatorum suorum Dominicanorum scilicet aliorumque; aucto- rum promotione, quinetiam Vultheri de Clingen subsidio, anno 1274 intra minoris Basileæ muros nouos admissæ, monasterium templumque; magnificentius construere cœperunt, quod in fundato- ris sui honorem (et si locum mutassent) priore nomine reseruato, uallem Clini- giacam appellârunt, ubi etiam à Basilién sibus ciuitatis iure alijsque; priuilegijs do- natæ sunt. Dedicatum est pontificijs ce- remonijs templum, à Bonifacio Bosoni- ensi episcopo, Basiliensis suffraganeo, 16 Kal. Iunij anno 1293. Atque hæc quidem initia fuere.

Perseuerauit Collegium hoc sub Pre- dicatorum cura, usque ad annum 1431, quo se foeminæ ab ijs negligi, uarijsque grauaminibus onerari sentientes: Anna de Tierstein priorissa, illorum imperium communi consilio excusserunt, ac Epi- scopi Constantiensis p̄tectioni sese sub- milerunt. Ipfis interea à religionis seue- ritate in dissolutam uitā diffluentibus, ita ut castitatis suæ malè memores esse dicerentur: prædicti eorum magistri oc-

Turba ex sciplinam regimenq; suum reuocandi.  
tentata ut Anno itaq; 1480, Iacobus de Stubach,  
latarum re huius sectæ per Germaniam rector, quæ  
formatio obortu. Prouincialem appellant, à Sixto 4 pon-  
tifice mandatum commissionemq; im-  
petravit, eas ad religiosæ uitæ mores,  
Deoq; dicatam cōuersationem redigē-  
di, Episcopo atque Senatu Basiliensi, u-  
nā cum Vilhelmo rupis Spoletanæ ba-  
rone, Austriaco præfecto, in illius rei exe-  
cutionem adscitis. Cui negotio cum se  
accinxissent, moniales diplomate audi-  
to, tantopere excanduerunt, ut lectionē  
eius absolui non sustinentes, minacibus  
contumeliosisq; uerbis authores impe-  
terent, modisq; omnibus auersarentur.  
Cum igitur Observantiae subdi nollent,  
numero uiginti quatuor exactæ sunt, do-  
nec ad saniorem redirent mentem, tre-  
decim alijs ex sacrato uirginum cho-  
ro Cœliportæ Gebuillensi ( oppidum id  
apud superiores Alsatas est, Archiman-  
ditæ Morbacensi parens ) quæ reforma-  
tæ religionis leges ante suscepserant, in  
earum locum euocatis.

Negotium istud tantas excitauit tur-  
bas,

bas, ut cum uelatae in exilium missæ, nobilibus pleræq; familijs ortæ, ignomi<sup>n</sup> Bellum & niā hanc (ut ipsæ interpretabātur) quā monialib. suarum rerum usu spoliatæ essent, ad co<sup>m</sup> concitatū. gnatos amicosq; detulissent: parum abfuisset, quin hē rerum muliebrium flammæ, in bellicum huius regionis incendium erupissent. Nam & Osualdus Tiersteiniorum Comes, Lotharingiæ mare- scalcus, eam rem inscio ipso (cuius tamē maiores cœnobium si non fundassent, amplè tamen dotassent) factā, indignissimè tulit, quāquam à Friderico Cæsare, Pontificis mandatum, Prædicatorumq; institutum ratum habente, ne quid hostile contra moliretur, rescriptum accepisset. In primis uero Albertus Clingenbergius, scripto per fecialem caduceo publice per urbem uecto, Dominicanis eam ob causam bellum denunciauit, anno 1482 ineunte. Quinetiam Sigismundum Austriæ ducem, aliquot item Helvetiæ urbes eò pertraxerunt, ut suæ causæ patrocinarentur. Vnde subsequutū, ut Dominicanis simul & Basiliensibus census interdictis uincirentur, & nonnulli eorum mercatores, ad nūdinas Fracofordies ses pfecturi, caperentur.

Varijs

Varijs tandem partium tractatibus  
habitis, quorum historiam alibi fauenti-  
bus superis copiosius descriptam dabo,  
controversia ad Pontificem relata : li-  
tis finiendæ componendæq; Commis-  
farios designauit, Casparum Basiliensem  
& Angelum Suessanensem Episcopos,  
unà cum Antonio aquæ mortuæ Prio-  
re, Burgundo, qui mense Octobri parti-  
bus Neoburgum ad Rhenum conuoca-  
tis (aderant autem præter partium pa-  
tronos, inter quos Prædicatores Salui-  
um Cassetum, generalem sui ordinis Ma-  
gistrum, è Panormo Siciliæ euocârant,  
Archiducis Austriæ Heluetiorumq; le-  
gati) ita transegerunt, ut uelatæ in Cœ-  
nobium hoc ueluti coloniam deductæ,  
in pristinum suum locum ablegarentur,  
exactis in ueterem possessionem missis,  
ubi extra mendicantium monachorum  
sectas, rerum spiritualium magistratus  
aliquis ijs designaretur, inimicitiae om-  
nes cuiuscunque generis tollerentur, ca-  
ptis iuramenta relaxarentur, nec Domini-  
canis in istud fœminarum consortium  
iuris quicquam relinqueretur. Quibus  
in effectum perductis, omni potestate, ui-  
sitatio-

sitatione atq; correctione s̄pedictarum cœnobitarum, simulque Constantiensis Præsulis exemptæ, atque Romanæ sedi sine medio subiectæ fuere, ita tamen, ut si quādo necessitas postulareret, ad Veltbacensem præpositum in Suntgaujjs, tanquam superiorem confugerent. Pon rifex præterea sub dato pridie Kal. Iulij, año 1483, potestatem illis fecit, Priorissæ Ex Priorissæ loco Abbatissam in posterum è suo cœtu fit Abbatissæ eligendi, suffragijs ad Brigidam de sweig sa. bausen delatis. Quam quidem historiam, ideo hic breuibus exponere placuit, ut appareat, quām ob repudiatam disciplinam, uictoria non solū penes refractarias steterit, sed etiam ueluti re benē gesta, Pontificale priuilegiū promeruerint.

Tumulati sunt huius templi choro illustres aliquot uiri fœminæq; è Comitibus Habspurgensibus, Kiburgensibus, Nouocastrensisbus, Tiersteinanis, Verengensib. Baronibus item Clingiorum, Falcosteinij, Bechburgijs, de Büchegg, Brandis, Liechtenberg, Maggenberg. Inter eos tamen nomine notos, Vyaltherus Clingenensis baro, quem fundatorem ante dixi, occurrit, cum Sophia coniuge, tribus

item

item filiabus Marchionissa Badensi, Karina comitissa in Pfirt, Verena item Veringesi, obiitq; circa salutis annum 1295. Fratrem habuit Ulricum Waltherum, filiumq; Ulricum unicum, è quorum posteritate (utrius autem ignotum) Waltherus tertius descendit, qui anno 1388 Austiorum per Alsatiam atq; Suntguiam praesidem egit, quartus item, apud Basilienses Canonicus, anno 1376 humanis erexit.

Ibidem quoq; iuxta Principem quoniam aram conditus est Simon Tiersteinij comes, anno 1371 eius federis confors, quod Basilienses cum Rudolfo Nidouiorum potenti comite, atque Hartmanno Kiburgio, contra barones quosdam, ijs in terris rapinis, & mercatorum deprehensionibus pacem publicā perturbantibus, icerant. Præterea Hermannus Tiersteinius, eum Clementia Utznaengerensi baronissa coniuge, parentes Sigismundi Comitis, qui post tristes illos contius regionis terræmotus, Varnspergense castrum, cum plurimis alijs dirutum, restaurauit. Genealogiam eorum quantum fieri potest, in historijs, Deo propitio digestam dabo. Fa-

Faxit Christus Opt. & Max. ut uitę nostrę fragilitatem breuitatemq; , quam Spiritus sanctus radij textorij per telam transcurſui, similem facit, expendentes, si quae nobis maiores nostri pietatis, religionis atque uirtutis exempla (ut sunt plurima) reliquerunt, sic imitemur, ut uera probitate, sinceræ religionis cultu, alijsq; honestæ uitæ actionibus non solum posteros (apud quos exemplum nostrum plurimum poterit) excitemus, sed ut post multiplices huius seculi fatigations & ærumnas, æternā quoque requie fruamur.

Has ego primitias hausti documenta laboris  
Offero, tu cœpiis Patria chara faue.



SERIES EPISCO-  
PORVM RAVRACENSIVM  
ET BASILIENSIVM, EX VAS-  
rijs authoribus, diplomatibus & collatis in-  
ter se Catalogis, diligenter  
congesta.

**P**ANTALVS. Hunc primi Christianorum circa Basileam collecti cœtus pastorem fuisse, circa annum Messiae 235, communis habet persuasio, testimonij tamen (ut suprà docui) non satis firmis stabilita. Hunc Gerardus Lystrius Rhenensis ita loquentem facit:

Pantalus en, fueram qui primus Episcopus olim  
Rauraciæ pubis, quam Basilea tenet.

Fallacias mundi, illecebras, fastumq; superbum  
Temnere, & ad Christum quæ uia, perdocui.  
Sed me uirgineas acies et castra sequutum,  
Hunnorum rabies effera sustulerat.

I V S T I N I A N V S, Synodo Colonensi  
œstra Euphratem Arrianum subscriptis,  
anno Christi, 347.

A D E L P H I V S, interfuit primo Concilio,  
quod Franci Clodouei regis auspicijs,  
T post

post suscep*tā* Christianæ religionis professiōnem, Aurelijs in Gallia celebrarūt. Anno 514. Alteri quoq; Aureliensi synodo, per Adelphium uicarium suffragium adiecit, anno 537.

*Hi se Rauracenses non Basilienses nuncuparūt, quorum memoria ex actis synodalibus certa est. Sequentium aliquot notitia nulla, quorundam etiam minus certa.*

VVALANVS. Hic (ut catalogi uolunt) primum se Basiliensem Episcopum dici uoluit. Anno 748.

BALDEBERTVS, anno 760. Vterq; Pipini regis Frácorum tempore, ij enim hoc seculo fracto Romanorum occidentem uerlus imperio, terris hisce imperitabat, dominique iam inde à deuictorum Alemannorum ætate, agnoscebantur.

VVALDO, diuitis augiq; Archimandrixa, pōst Papiensis Episcopus, tandem uero Basilienſis. Hic ob Eginonis Constantiensis præſulis insidias, anno 806 abbatia cum Episcopatu resignata, in Dionysij fanum ad Parisios cōcedens, uitam illic finiuit. Stumpfius atq; Bruschius ex annalibus Augiensibus referunt.

HAITO uel HETTO, aut si maius OTHO,

**T**HO, Carolo Magno Imp. à consilijs, gra  
uibus Imperij nomine legationibus per  
functus, Episcopatum abdicavit, anno  
822. Obiit anno 836. *Regino libro 2. Hermannus Contractus & alij.*

**V**D ALRICVS. Hic consecrationi basili-  
æ diui Othmari, quā Gottobertus ab-  
bas loco cellæ diui Galli apud Helue-  
tios construi curauerat, anno 834 inter-  
fuit. *Annales coenobiij S. Galli.*

**F**RIDEBERTVS. anno 856.

**A**DELVINVS, sub Carolo Crasso. Ho-  
rum in Catalogis mentionem, sine udo  
tamen authorum testimonio, reperio.

**R**ODVLPHVS. Hic cum multis Princi-  
pibus politicis & ecclesiasticis, armata  
manu Amulphi Imperatoris copijs iun-  
ctis, atrociissimo prælio, quo contrà Da-  
nos, Nortmannos gentesq; septentrio-  
nales paganos 7 Kal. Julij, anno 892 infe-  
liciter pugnatū est, unā cum Sunderol-  
do Moguntino pontifice occubuit. Do-  
qua cæde *Regino & Aventinus.*

**I**RINGVS Triburieñi synodo uiginti  
duorū Episcoporum, anno 895 interfuit.  
*Regino. Tomus 2. Concil.*

Hic nonnulli Vuichardum interiiciunt, circa annum 908.

Successor eius iterum incertus, alij enim Rodulphum numerant, reticent alij, ut qui nam sequendi, dubium sit.

ADALBERO. Hunc anno 1019 cathedralē templum à Henrico Imp. restauratum consecrassē, annales tradunt.

VDALRICVS. Eum post Adalberonem omnes Catalogi memorant.

BRUNO. Forsan is erit, quem Hermannus Contractus, Henrici tertij Imp. facel laici fuisse, & episcopum Basil. factum, narrat, nomine prætermisso anno 1047.

THEODERICVM probabilior Catalogus post Brunonem recenset.

BERINGERVS. Hunc omnes Catalogi consona uoce circa annum 1057 prefuisse testantur, Henrico 4 imperium gubernante.

BVRCHARDVS. Primus hic est, cuius gentilitium nomen notum, è Hasenburgijs baronibus in Ergouia residentibus, prognatus. Hic ex Archiepiscopi Moguntini Camerario, Episcopus Basil. factus est, anno 1072. Monachus Herueldensis. Institutio Santalbanensis.

Rv-

RUDOLPHVS de Homburg, comes, ad quē  
Pascalis 2, Pont. brevia extāt, apud Auen-  
tinum. Henrici quinti Imperatoris fami-  
liaris fuit. Anno 1114. Murensis fundatio.

Centuriarum historiæ ecclesiastice collectores,  
ex Saxonie Chronico Fridericum Episcopum Ba-  
sil. anno 1118 obiisse referunt, Cent. 12, quem tamen  
Basilienensis abacus tacet.

LODOVICVS de Phirreto comes.

BERTOLFVS de nouo castro comes, Anno  
1130 uel circa. Fundatio cœnobij Lucelæ.

AD ALBERO de Vroburg comes, præpo-  
fitus antea maioris Ecclesiæ. Hic regu-  
lares Canonicos apud diuum Leonar-  
dum introduxit. Diploma fundationis. Con-  
firmatio cœnobij Lucelæ. Annūm excessus e-  
ius 1140 notant.

Quod si uerum est, Episcopū illū Basilensem,  
cuius Cassinense Chronicō meminit, lib. 4, capite  
180, Hannonem eum appellans, hūc Adalberonem  
fuisse necesse est, qui cum Conrado 2 Cesare, Saxo-  
niæ duce in Italia fuit, atque ob discordem Abba-  
tis electionem fratribus dissidentibus concilian-  
dis operam dedit. Errore forte ex nominis solū  
iteratione oborto, eò quod Hanno quidam abbas  
Luneburgensis eidem tractationi interfuerit.

ORTLIEBV S de Vroburg, comes. Hic

T 3 sum-

sumpto crucis signaculo, cùm Conrado  
3 Aug. anno 1146 contrà Saracenos in  
Syriam profectus, ac biennio pòst reuer-  
sus est. Cum Friderico Barbarossa bis in  
Italiam cum exercitu abiit. Interfuit  
anno 1159 ei synodo, quam Imper. scis-  
matis abolendi causa in pontificatu, Pa-  
piæ cōscripserat. Obiit 15 Kal. Septemb.  
anno 1167. *Lucelæ instrumenta. Radicuci appen-*  
*dix lib. 2. cap. 70. Continuator sacri belli.*

LUDOVICVS de Petern, Garwardum uo-  
cant, Scismaticus appellatus, eò quòd  
Friderici Imp. excōmunicati, tanquam  
magistratus sui partes mordicūs tuere-  
tur. Vnde Basilienses pontificio interdi-  
cto diu subiacuēre, quòd hūc ab Alexan-  
dro 3 dignitate priuatum, in urbem re-  
duxissent.

HUGO de Hasenburg, baro, Anno 1172,  
quinquennio prefuit, anno 1177 fato fun-  
etus, in S. Galli sacrario cathedralis tem-  
pli conditus est.

HENRICVS de Hornberg baro. Cum Fri-  
derico Barbarossa contrà infideles in A-  
siam profectus est, anno 1189, ubi uterq; perijt. Imperator suo fato, hic uero cum  
multis alijs principibus lue epidemica.

Sequen-

**E**quentium Episcoporum partim ex instrumentis, partim ex authoribus, certa est successio.

**L**UTOLDVS de Rötinlein, anno 1191. Ineunte tredecimo seculo, cum Henrico 6 Augusto in Syriam quoq; pro terra sancta, in militiam abijt. Abbas Spanheim.

**V**ALTHERVS de Rötinlein. Is quoniam sedem canonicè non ascendisset, ab Innocentio Pontifice ad Lateranense Concliu uocatus, causa Synodi iudicio male comprobata, depositus est. Anno 1215. *Chronicon Hirsaugicense.*

**H**ENRICVS de Thun comes. Hoc præside Franciscani & Prædicatores Basileæ recepti sunt. Faro concessit anno 1238, in Crypta tumulatus.

**L**UTOLDVS. Eius certa est ex literis anno 1239 & 1241 datis, notitia. Discrepant solùm Catalogi, quod eum quidá è Rœtelanis dominis, quidam uerò è Comitibus de Arburg & Nouocastro (quod mihi magis probatur) & pdijisse uolunt. Hinc fortè quibusdam duos Lutoldos ponédi, occasio data. Eum circa annum 1248 pedum reliquisse uolunt.

**B**ERTHOLDVS de Phirreto comes, anno 1249. Eo præsule Psittacorum & Stelli-

T 4 fero-

ferorum factiones exortæ. Obiit 4 Idus Decemb. 1262.

HENRICVS de Nouocastro seu Neoburgo Comes, ex præposito Episcopus sufficitur. Potens hic Princeps fuit, bellis multa passus. Episcopatum tamen emptio-  
ne Pourentrutij oppidi à Gotofredo Neoburgensi, alijsq; ditionibus auxit. Vitæ munia peregit, 17 Kal. Octobris, anno 1274. Basileæ in cathedralis tem-  
pli sacrario à se condito, humatus.

HENRICVS obscurò loco Isnæ natus, Theologiae Doctor (ut quidā asserunt) monachus Franciscanus. Vnde eum Cor  
digerum, vulgò Bischoff Gürtelknopff, ap-  
pellarunt. Dignitatem hanc præter or-  
dinē, teste Vrspergensi, cōsequutus est,  
Canonicis sibi mutuo eum honorem in-  
uidentibus. Cùm enim in Præsulis ele-  
ctione conuenire non possent, in Mino-  
ritam proximum ipsis obuium cōsense-  
runt, atque in hunc incidentes, suffragia  
ei sua detulerunt. Hoc legato Rodol-  
phus Cæsar Bononiam Romandiolam  
& exarchatum Rauennatensem sedi Pe-  
trinæ emancipauit, referente Alberto  
Argentinensi, quæ res eum anno 1286 ad  
Mo-

Moguntinam sedem, promouit, Obiit  
biennio post 15 Kal. Aprilis, tale natus  
Epitaphium.

Hic iacent in fossa,  
Henrici mendici ossa.

PETRVS Rich de Richenstein. Author Hir-  
saugiensis Chronicis nominis homony-  
mia deceptus, eum Rodolphi regis Me-  
dicum fuisse scribit, eò quod seques Me-  
dicinam exercuerit. E' uita migravit, 8 I-  
dus Septembris, anno 1290.

PETRVS de Asphelt Medicus. Promotus  
est à Clemente ad sedem Moguntinam.  
Tritenhemius tamen eum de Achzpalt,  
appellat, nec Basil. Episcopū, sed Henri-  
ci Comitis Lutzelburgensis Medicum  
facit, qui cum ad Clemētem Pont. ut fra-  
tri Balduino Metropolitani Mogūtinen-  
sis cathedram impetraret, Pietauiū mis-  
sus fuisset, ob medicinam infirmo papæ  
feliciter administratam, pallium id re-  
portārit.

OTHO de Grandisone baro. Hic Henricū  
7 Cæsarem, pro consequenda imperij  
corona in Italiam profectum affectatus,  
anno 1312 in expeditione ea uitam e-  
xuit.

GERHARDVS de Vnippingen baro è Nuthonibus, cuius tempore Phirretenses Comites defecerunt. Infelia contrà uicinos Nouocastrenses bella gesxit. Obiit 16 Kal. Maij, 1325, ut tabula iuxta gradus facelli Monachorum, ad Georgianam turrim restatur.

JOHANNES de Chabillone seu Chalons, Burgundus, illustri Aurantiorum sanguine natus, Episcopus Lingonensis, administrator factus, cum Hartungo Monacho Archidiacono Basil. de principatu certa uir, ita quidem ut uterq; quantū posset ad se raperet. Chalonius tandem partes potiores tulit. Obiit 10 Kal. Junij, anno 1230. Gilbertus Cognatus in descriptione Burgundiæ.

JOHANNES Senn de Münzingen, baro, de quo isthęc in libris Ecclesiæ Basil. elogia extant. Homo mansuetus, pius, Zelator pacis, amator cleri & populi, ac totius Episcopatus fortis uirorumq; reformator Augustus. Præfuit annis 35. Excessit pridie Kal. Julij anno 1365, teste inscriptione ad dextram pergulæ columnam.

JOHANNES de Vienna Comes Burgundus, turbulenti ingenij Princeps, cuius regi-

regimine ob bellicos apparatus, quibus  
magis quam religionis exercitio inuigi-  
lasse uidetur, Ecclesiæ bona supra sex au-  
reorum myriades onerata sunt. Lites e-  
nim suas non iure sed armis prosequen-  
das ducens, alienata Episcopatus iura  
recuperandi animo, non solum proposi-  
to suo (ut violentis plerunque homini-  
bus accidere solet) frustratus est, sed præ-  
sentia quoq; dissipauit. Viræ renuncia-  
uit Purrentrutij, mense Septembri, anno  
1382.

*Interiiciunt h̄ic quidam Iohannem de Büch-  
eck unius anni præsulem, quidam eum sicco pede-  
transcunt.*

HIMERIVS de Ramstein baro Rauracus,  
contra Vuernherum Scalarium uirum  
nobilem, in discordia electus, hastis au-  
reis, hoc est beneficijs quibusdam, æmu-  
lum superauit, sedem quieta possessio-  
ne naclus. Quam tamen cum ære alieno  
non leuasset, sed aggrauasset amplius,  
successori dereliquit, anno 1391.

FRIDERICVS de Blanckenheim Argenti-  
nenfis Episcopus, Basil. administrator  
datus, ne noui Præsulis electio, epis-  
copatum pessundaret, qui tamē ei opis pa-  
rum

rum attulit. Nam quartas aliquot decimarum ad episcopale ius pertinentes, collegio Argentoratensi pignoris loco dedit, ut cetera obmittam. A Traiectenibus tandem Episcopus postulatus, utrquam sedem reliquit.

**C**ONRADVS, *monachus de Landtskron*, mensē Septembri anno 1393 electus, biennū tantum præfuit. Cumq; debit is tot exoluendis se imparē deprehendisset, principatum abdicauit.

**H**VMBERTVS, *de novo castro Comes*, anno 1395 eligitur à Canonicis, sperantib. eum ditiones quasdam Theobaldo patri eius quondam oppignoratas, recuperaturum. Verū id ille neutiquam cordi habens, suo potius splendori quam collegij desiderio satisfecit. Ferunt eū pontificali habitu nunquam, armato autem sæpius usum, Principis in morē si quando Basileam ueniebat, magnam equitum copiam secum trahens. Obiit Telmontij, anno 1418, Basileam à morte uectus.

**H**ARTMANNVS, *monachus de Mönchenstein*, uir corpore & ætate grauis, Episcopale nomen gesit, cognatis eius res administrant.

fratribus. Anno 1423 successori episcopatum dimisit.

JOHANNES de Fleckenstein, abbas Saletensis, uulgò Seltz, à Martino quinto confirmatus, annis quibus præfuit tredecim castra & ditiones non paucas à præcessoribus alienatas, redemit, & ad Ecclesiam reuocauit. Obiit in profecto Thomæ apostoli, durante Basiliensi Synodo, anno 1436, cuius exequiæ à patribus Cöciliij, in præsentia Ecclesiæ uasallorum & cleri totius diœcesis, magna solennitate sequenti Ianuario celebratæ sunt.

FRIDERICVS ze Rhein, à discordibus Ecclesiæ primoribus cum Burchardo siue Bernhardo de Rahtsamhausen creatus, tandem uicit. Hic quanquam nec missam nec pótificalia officia unquam celebrafset, inter electores tamen Felicis pæ adscriptus fuit, anno 1439. Postridie Epiphaniæ 1451 diem clausit extremum, in sacrario Moguntinensis Pontificis conditus.

ARNOLDVS de Rotberg decretorum Doctor, Decanus antea Basil. septennio præfuit, nonis Maij 1458, in ipso ætatis flore, apoplexia occubuit. Exanime corpus

386      **BASIL EPISCOPORVM**  
coccinea ueste inuolutum, prope ante-  
cessorem terræ mandatum est.

**IOHANNES de Veningen.** Decanum ante  
Basil. atq; Spirensem egerat, postea uero  
prudentem Principem annis uiginti, in  
quos atroces etiam belli Burgundici tem-  
pestates inciderant. Pourrentutum à  
Comitibus Montis Beligardi redemit,  
arce eius splendidè reparata, ubi anno  
1478, dominica Natale Christi anteuer-  
tē, mortalitatis uinculis exolutus est.  
Cadauer sindone amictum, Basileæ me-  
dio loco ante adyti scalas, amplissimis  
ceremonijs funeratum est.

**CASPARVS ze Rhein,** Pridie nonas Ian-  
uar. anno sequenti, ætatis 46 Episcopi  
suffragia nauctus, pentecoste sequenti ma-  
gna cum celebritate inauguratus est, e-  
ius rei administris Nicolao suffraganeo  
Basil. Johanne Ortwein uicario Argenti-  
nensi, & Daniele Zender uicario Constan-  
tieni. Depositus siue suspensus ab offi-  
cio fuit à Collegio, inter auspicia seculi  
1500, eò quod nō satis frugaliter res ad-  
ministrare uisus esset. Vitæ biennio post  
Pourrentutij ualedixit.

**CHRISTOPHORVS ab Uttenheim,** Alsara  
ante-

antecessori administrator datus, 4. Novembris anno 1502, Episcopale pedum accepit. Fuit hic doctissimus atque dignissimus praesul, bonarum artium & Canonum doctor, quo Ecclesiam moderante, reformatæ religionis doctrinam Basileæ, ut & alibi per Germaniam, locum inuenit, uniuerso Papatu paulo post abrogato. Quam ob causam ætate ingrauescente Nicolaum Diesbachium collegam seu coadiutorem nactus est: uterque tamen anno 1527 mense Februario eam dignitatem abdicarunt.

PHILIPPVS de Gundolzheim Francus natione, Telamotij pridie Kal. Martij suffragia tulit, placidus & moderatus Princeps. Hoc Ecclesiæ fasces tenente, collegium maioris Basilicæ Friburgum migrauit, ipse uero ab electione sua urbē nunquam ingressus, Pourrentutij sedem sibi delegit. Obiit mense Octob. año 1553.

MELCHIOR à Liechtenfels, post Iohannis Steinhaueri I. V. Doctoris Canonici, & prepositi Tannensis mortem (quem defuncto Philippo, Canonici administratorem constituerant) praeter expectationem, anno 1554 mitram Episcopalem tulit,

1463115

308 BASIL. EPISCOP. CATALOG.

tulit, atq; annis uiginti unum pacifice  
gessit. Mortalitati renunciauit, 17 Kal. Iu-  
nij, anno 1575.

IACOBVS CHRISTOPHORVS Blaureus  
a Vuartensee, ad 10 Kal. Julij in demortui  
locum surrogatus est. Faxit Christus, ut  
studia atq; consilia eius ad sui nomi-  
nis gloriam & multorum sa-  
lutem dirigan-  
tur.

F I N I S

i

EPISTOLÁ  
AENEAE  
SYLVII, QVI PO-  
STEÀ PIVS II. PONTI-  
FEX FVIT. VRBIS BASI-  
liensis descriptionem continens, exara-  
ta, tempore uniuersalis Synodi in ea ce-  
lebrati, typis hactenus nun-  
quam mandata:

REVERENDISSIMO IN  
Christo Patri & Domino, D. Juliano Sacrosanctae  
Romanae Ecclesiæ diacono, Cardinale S. Angelii, se-  
dis Apostolicae Legato digniss. domino meo  
singularissimo.



EV E rendissime in  
Christo pater ac Do-  
minè, dominè mi præ-  
cipue, post recom-  
mendationem. Maio-  
res nostri, pater ho-  
norandissime, si quando sua uolebāt  
ingenia trutinare, uiros & doctissi-  
mos

mos & probatissimos deligebat, quibus ingeniorū facienda pericula committerent. Quare & ad Platonem plectri, & ad Aristotelem recurrebant. Multi postea Socratem, Romanorū alij Catonem, Læliumq; petiere. Nostra demum ætate Leonardum Aretinum, fratrem Ambrosium, & Guarinum Veronensem frequens turbā postulare consuevit. At Reuerendā dominationem tuam plurimi quasi oraculum Delphicum consuluerē. Possem ego memorare multos, non ignobiles aut abiecti viros ingenij, qui cum aliqua scripsissent, uel prosa uel carmine, R. D. T. iudicium exquirerant, neq; audebant illa sine approbatione tua in lucem dare. Horum sectari cōsuetudinem, & dignū mihi uidetur & laudabile.

Igitur cùm hac tempestate noui aliquid edidisse, Basileamq; & mores hominū perscripsisse (quædant enim gerere destinaram, quæ negante R. D. meo Cardinale Firmano, iusta

BASILEAE DESCRIPTIO.

Ita namqz & rationabilis fuit consulatio sua, libenter obmisi id ipsum no audebam in publicum cōdonare, nisi autoritate tua illud agerem. Non ergo aspernetur uelim R. D. T. si intra medias Concilij grauiissimas curas, & nunquam longissimas ob res gerendas uigilias, relaxatus. Animus &  
serijs non- oc̄j pauxillum meis dari literis preēor. Non enim temerē aut inconsulē facio, cum aliorum exemplo nitar. Ratus etiam utilem rem esse D. T. si quam à tantis occupationibus animi corporisqz laboribus, respirationem impetraverit. Nequeunt enim homines (si modò homines sunt) continuē fatigari, rebusqz arduis intendere. Quis nancz fuit ille unquam, uel datus literis, seu publice aut militari rei, qui non interdum quietem exoptat? Et ut alios obmittam, non' ne decus ipsum & splendor eloquentiæ Latinæ Cicero, se se à laboribus crebro retraxit? Profectò authore Seneca, Ab exem-  
plio Cicero  
sæpe rutib. se tradebat, uagusqz mon-  
tibus & siluis studio uenandi pluri-  
dis.

mum incumbebat. Exinde tantis utribus literis se restituebat, ut non modo nihil perdidisse, sed acquisuisse multum desidia uideretur. Prodest sanè omnibus animum relaxare interdum, excitaturq; ocio uigor, & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studij congeritur, intermissionis alacritate discutitur. Relaxantur tamen animi multifariam. Nam qui republica continuè occupatur, repausat quidem, si relicta ea, paululū gymnasij se literarum præbeat: imò & qui legali impicatur lectione, uidetur requiescere, si Poëtas lectitauerit aut Oratores, omnisq; studiorum uarietas animi quandam relaxationem inducit. Arbitror itaq; si mea legas scripta, non nihil T.R.D. tribuissē respirationis, non elegantia & suavitate dicendi, quæ duo penitus absunt, sed rerum uarietate, & aliqua remissione curarū tua recreabitur dominatio.

Quapropter & oro & obsecro has literas nonnunquam legere, deq; his iudi-

iudicium facere : ita & animus tuus aliquantulum euagabitur, & desiderio meo geretur mos, siue probentur scripta, seu parui habeantur, fietq; ex dubia certa mens mea. Tantum quippe auctoritati tuae concedo, ut ea mihi omnino de rebus meis sententia sit, quam T.P. dijudicauerit habendam. Postremò R.D.T. me commissum facio, precorq;, ut intra numerum servitorum suorum me minimum ascribat, cui tantum afficio ut nihil jocundius audire censem posse, quam illi me charum fore.

Nihil, uti ego arbitror, homini potest esse deterius, quam ocio uitam tradere atq; ignaviae. Cursus enim humanae uitae breuis est, & id ipsum quo uiuimus tempore, multis fortunae causibus subiaeget. Necq; ulla futuri certitudo est, neq; craftini spes aliqua certa. Innumeri quoq; (sicuti uidemus) uitae sortiti cunabula, uel in ipsa infancia, uel in adolescentia diem obire, ut pauci admodum seu uirilem æ-

Ob uitæ  
brenitatem  
ocium fu-  
giendū.

tatem attigerint, siue fuerint in seniū  
prouecti. Itaq; dum nobis supereft o-  
cij quicquam, haud illud inertia præ-  
terire debemus, sperātes (ut sāpe fit)  
uita terminum longiorem, quo scri-  
bere aut euigilare possimus diu, ne  
nobis uti plerisq; accidat, qui summa  
negotia differentes in senectutem, ea  
postea deseruere, morte præuenti, uel  
obstante ualerudine. Nos enim sāpe  
opinio fallit, nescio qua dementia ca-  
ptos, ut nemo sit, qui sua uiuendi spa-  
cia Nestoreis annis non iudicet adæ-  
quanda: licet exemplo maiorum pos-  
simus uti amplissimo, quorū uiuendi  
spes sāpenumero frustrata fuit. Quā  
rem profecto si diligēter intueamur,  
morituros in dies potius quam uiuctu-  
ros semper nos esse censemus. Cæ-  
terū & hoc perniciosum est. Namq;  
ubi uicinos leto sese continuo mor-  
tales credat, negligetur illico magna-  
rum cura rerum, quibus diutini labo-  
res longissimaeq; uigiliae cōuenirent,  
deformaretur breui genus humanū,

cum

## BASILEAE DESCRIPTIO.

7

Cum nec struerentur urbes, nec matrimonia fierent, nullo curam habente lobolis procreandæ, & replendi libertis ciuitates, solum sibi uictum uestitumque procurantibus, qui tunc uitam ageret. Est igitur adhibenda moderatio quadam, ne prorsus dietim obire credamus, ne uera aura in æternū frui: uerum formidare unum, alterū sperare minus firmiter. Quæ cum ita fiunt, & humano generi consuletur, & erit anima nostra nobis curæ, neque spe uitæ prolixioris bona opera transferemus in senitu, nec trepidatione obitus, humana omnia negligemus. Eo pacto Reipublicæ consultum erit, literarum studia non deficient, prædia neque rustica, neque urbana deserentur, quæ nequeunt sine longo sudore custodiri. Hæc ergo sunt cuique habenda frena, siue reipublicæ præficit, siue militiam agitet, siue bonarum artium gymnasij adhæreat, agriculturæ, aut alijs cuiuis mechanicorum exercitio, ut se moriturum semper, uicturum

a 4 sem-

semper existimet. Ea mihi satis ani-  
mo persuadeo, neque arbitrari secus  
ualeo, tametsi quæ animæ sunt parū  
fortasse in mente geram: hæc tamen  
efficiunt ne torpere possim, uel cum  
inertia tempus consumere.

Qua ratione compulsus, quæ Basiliensi Concilio gererentur, scribere  
destinaui: neq; enim rei magnitudi-  
nem (licet ingentē) exhorresco, quæ  
nequeat comprehendendi, neq; maturio  
ris siue grauiori ætati libet eas eruare,  
ne uel tūc minime possem, uel in præ-  
sentia tempus incassum ducerē, quā-  
do mihi pauca sunt expedienda ne-  
gotia, ne ceu pecora forsitan cibo at-  
que somno deditus esse uidear. Qua-  
re nihil est à me magis alienum, qui le-  
ctitare aliquid semper, aut scribere so-  
litus sum, siue aliter factitare. Nuper  
ergo cum Basileæ starem, ipse mihi  
uidebar esse fastidio, si die quæ longa  
esset, fierē ociosus, neq; cordi erat de  
rebus Cōcilio gestis, siue gerendis, cū  
eis confabulari, quibus Ecclesiasticæ

## BASILEAE DESCRIPTIO.

Impellētes  
causæ ad ea  
Concilij  
describen-  
di.

curæ multæ deligendæ forent, mul-  
taçp imaginari, quæ nec facta erât nec  
cogitata. Angebar igitur indies ma-  
gis, ut ea conscriberem, quæ Conci-  
lio expressa deliberataçp certò scire,  
ubi uulgò omnia fuissent cognita.  
Quam rem efficere constitui, non so-  
lum ob eas, quas supra causas memo-  
raui, uerùm etiam ut exercerem inge-  
niolum meum, tentaremçp si quirem  
in dicendo proficere, ut si quâdo uel-  
lem grandiora componere, & inge-  
nium & dicendi copia suppeditaret.  
Quæ duo solet exercitatio parere, li-  
cet ingenio plurimùm natura conce-  
dat. Fatebor tamen honestius ac de-  
centius mihi fuisse, uoluere & per-  
scrutari uolumina eorum, qui multis  
ante temporibus scripsere, quam per-  
ficiendum opus assitmere. Cæterum  
satis excusationis habeo, quoniā ne-  
que mihi libri erant, neçp dormiendū  
penitus uidebatur. Frugi præterea  
censebam, si quæ ab hac sacrosancta  
Synodo discussa ac sancita forēt, man-  
a s daren,

darentur ad posteros. Neq; alterum ea colligentem acceperam, cui potuisse onus dimittere huiuscemodi. Placuit itaq; ( nescio si arroganter egí ) rem aggredi, & omnia memoria digna referre, quò minores omnino certiores fiant, quæ Concilio Basiliensi gerantur. Quæ quidem aucto re Deo expediam, si pauca prius de Basilea retulero, deq; hominum moribus, quæ non incongruè uidentur hoc loco dicenda: cùm in ea ciuitate Cœciliū sit initium, terminabiturq; sicut è opinantur. Ut cuncti intelligat, quo loco, quosq; inter homines, acta fuerint, quæ colligere destinaui.

BASILEA ( ut aiunt ) crebris  
terremotib; anno iam octogesimo  
cidit. funditus decidit, ut ne centum ex tan  
ta ruina superfuerint ædes. Quā rem  
probat ipsa modò facies urbis, quasi  
uno contextu edita, noua undiq;, nec  
domus ulla uerustatē indicat. Nam q  
olim à terræmotu superfuerere, alia po  
stea ruina ceciderunt, ut nihil ueru  
stum,

stum, nihil caducum appareat. Ea est  
in Elsaetia regione, medium ferè inter  
utrasq; tenens. Rhenus fluminum no-  
bilissimo adiacet, eoq; in partes duas  
scinditur.

Rheni origo est ab Alpibus, Italiā Rhenide,  
qua à Germania semouent, longè ul scriptio.  
tra oppidum Rhinec, uenitq; exinde  
Constantiam, ubi Martini papæ quin-  
ti pastoris nostrat tempestate felicissi-  
mi, creatio fuit. Ibi lacum transit, cu  
ius ambitus passuum ducentorum  
milia affirmatur esse, tractaturq; na-  
uiculis usque castellū Schaphusam.  
Inde pro ingenti descentia, fluminis  
per montes abruptos & confragosa  
saxa, iter pedibus conficiendum est,  
millibus passuum decem ad castel-  
lum usq; quod supra Rhenū \* Com. Kaiserstul  
prosarthol appellant, quem locum o-  
pinantur aliqui propter eius oportu-  
nitatem Romanorum fuisse olim ca-  
stra. Est enim colle excuso, imminēs  
flumini, quod paruo ponte Galliam  
coniungit Germanię. Ibi Rhēni casus

ex

ex alto monte scopulis interruptis,  
magno fragore ac sonitu, ut ipse que-  
ri casum suum uideatur: ceu narratur  
de descensu Nili tam præcipiti, cuius  
strepitu ac fragore surdi putantur cir-  
cumuicini accolæ. Nec mirum, cum  
huius fluminis, qui torrens ad instar  
Nili potest eo loco existimari, tribus  
ferè stadijs rumor exaudiatur. Exinde  
Basileam usque percurrit, portionem  
quandam ciuitatis abrumpens, labi-  
turq; ad plurimas Germaniæ ciuita-  
tes, meatu longissimo mare Oceanū  
petēs: cuius tanta uelocitas est, ut ab  
Argentinā urbe nulla redeat aquarū  
curlui cōtraria nauigādi uascula, eaq;  
uel Coloniæ uendunt, uel Maguntiæ.  
Latitudo Rheni infra urbem passuū  
ducentorum quinquaginta, ubi li-  
gneo ponte breuior ciuitas maiori  
coniungitur. Solet interdum, æstate  
maxime feruescente, urbem inunda-  
re, pontemq; ipsum euertere, ne qua  
sit duarum inter se coniunctio ciuita-  
tum, niuibus alpium calore in aquam  
de

deductis. Piscibus abundant multis generis, Salmonibus maximè, quos mira suavitate animantibus aquæ cæteris preponunt. At de Rheno satis.

Vrbs quippe trans Rhenum posita ad Prisgaudiam respicit, uino frumentoq; opulètissimā regionē. Riuo aquarū multiplici irrigatur, plana uniuersa, ædibus exornata satis. Spiti-tualia ipsius Episcopi Cōstantiensis.

Altera ciuitas splendidior ac magnificantior, duplice iugo eminet, ualle intermedia artificiose mitificeq; structa, ut æqua omnis uidetur eunti. Tēpla sanctorum decora satis, nec uili saxo circundata, tametsi marmore careant: populo maximè frēquentantur. Ipsa templorum corpora cellulas habent ligno intextas undiq;, quibus ad orandum singulæ cum ancillis se-fœminæ claudunt: eas sibi quelibet pro honore dignitateq; sua cōstituit, ut altiores nobilium quam popularium sint: quibus aliæ nullatenus apparent, aliæ caput solūm ostendunt.

Templorū  
structura &  
ornatus.

Cæ-

Cætera multitudo cernitur pubete-  
nus, quando ad Euangelium more  
Romano state consueuerūt, & in his  
fenestrellæ per plures, quibus uidere  
queant sacra celebrari. Quas res arbi-  
tror necessitate inductas, magno ur-  
gente frigore. Iisdem Ecclesijs san-  
ctorum multæ reliquiæ, ueneratione  
& ingenti honore dignæ. Altarium  
ornamenta sacerdotumq; minus e-  
gregia, neque picturarum decus in-  
ē, sicut in Italia templo ciuitatum  
\* habent, neq; \* gentilis aliquo loco ue-  
stiglia imitantur, imagines si qui aut  
effigies æmulentur sanctorum. Ar-  
genti uero & auri non parua copia;  
Lapillorum multi preciosi. Tumuli  
quocq; nobilium, populariumq; se-  
pulturæ non inornatae. Scuta etiam  
clarissimorum virorum affixa pa-  
ribus pendent, quæ nisi magnates nō  
decet apponere, & ea pro numero  
morientium affiguntur. Tecta autem  
Ecclesiarum plæruntq; uitro nitent,  
uarijs distincta coloribus, ut radijs so-  
laribus

lariibus laceſſita, mirabili ſplendore  
 nitescant. Quibus ſimiles priuatorū  
 multi domus habent, ut ſpectanti ex  
 alto ciuitatem, pulcherrimum ſit, te-  
 ctorum compositionem ornatumq;  
 contemplari. Ea pendentia multūm,  
 ne collectis fortaffe niuibus ruinam  
 nimio pondere minarentur. Cacumi-  
 na obſident ciconiæ, ibi & nidiſtant  
 & alunt pullos, quibus hęc patria gra-  
 tissima eſt. Nulli officiūt eis, libereq;  
 & ire & remeare queūt. Solent enim  
 dicere Basilienses, Ciconias adempto  
 foetu, domibus ignem immittere,  
 quo timore nutriti auiculas impunie  
 permittunt. Ciuium aedes partibus  
 ſuis mirificè diſtinctæ, politæ adeò ac  
 delicate, ut ne Florentinæ quidē ma-  
 gis. Candore omnes enītent, pictæ  
 plerunq; hortos & fontes & areas ſi-  
 gulæ domus habent. Thermas quoq;  
 ſiccas quibus coenare ſolent, commo-  
 ratiq; non nulli & ſomnos captare, u-  
 bi uitreæ omnes fenestræ, quarum  
 latera thermatum, ſolumq; ac tectum  
 abiete

Domus pri-  
uata.

Hypocra-  
ta.

abiete uelantur, quo in loco plurimæ modulantur aues, calore illo ex hysme seruatæ, magnisq; frigoribus, quas audire quærentes & dulce sit & decorum. Tapetis præterea multis utuntur, ornamentiſq; pannorum: honorant mensas multo argento, reliquo mensarū splendore & tota gloria ab Italicis superantur. Vestibula domorum nobilitatem indicant. Ad ædium profecto decusq; paliorum nihil iudicatur abesse. Quæ si magnifica sint, non potest ciuitas esse deforis.

Platez. Calles neq; angusti sunt, neq; ad latitudinem nimiam, ut obuiantes in uicem currus non impedianter, nec teruntur plaustris, continuè transversis radijs rotarum fertis, ut stratum spectio semper delicata sit, huc tendentibus atq; illuc. Nec pluviae (quāuis in hac urbe crebetimæ sint) nimis officiunt. Plateas etiam habet non contemnendas, ubi ciues conuentiunt, supellex emitur, & alia merciū multa genera, fiuntq; permutationes &

& cōtractus reliqui. Fontes ibi splen- Fontes  
didi, aquis nitidis dulcibusq; effusis.  
Præter eos quamplurimi in uicis om-  
nibus, nec Viterbum Hetruscaciu-  
tas, tantis aquarum fistulis irrigatur.  
Eum nempe qui Basileæ fontes dinu-  
merare uelit, domorum quoq; nume-  
rum colligere oportebit.

Mœnia uero & propugnacula bel- Munimēta  
ta.  
lo structa, duris guerrarum certami-  
nibus & expugnationibus Italorum  
(uti censeo) minimè obsisterent. Ne-  
que enim alta sunt, neq; grosso mu-  
nita muro: Robur tamen ciuitatis in  
animorum cōcordia existimant esse:  
ciues namq; ubi sint unanimes, nulla  
hostium multitudine superātur: ubi  
uerò dissidentes, paruo prælio conce-  
dunt. Sunt enim in amore ciuit̄ diffi-  
cillima momenta, quæ apud eos per  
maxima inueniuntur. Nullæ namq;  
in regendo discordia, Regimina nul-  
lus accusat, emori pro libertate quam  
superari uolunt. Interior tamen ciui-  
tas muro meliore cingitur, quem fos-

sa ambit, undicę lapidibus ab laterē  
cōfecta, qui olim tumulis Hebreorū  
tegmina fuerant, inscriptio[n]es līte-  
ris Hebraicis, quę singulorum erāt E-  
pitaphia. Quod est argumēto, in hac  
quondam urbe, sicut in Italia cerni-  
mus, plurimos fuisse Iudaorū, qui-  
bus demum exactis, tumulorum sa-  
xa, illi officio subsēre.

Horti & ui.  
ridaria.

Recentia insuper in ciuitate mul-  
ta prata, arboribus coniecta uiridi-  
bos, suo gramine quandam p[ro]bent  
suauitatem, ubi quercus & ulmi ra-  
mis à \* paruis in latitudinē flexis, hor-  
rentes umbras efficiunt, ut aestuante  
calore (quamuis non longa sit aestas)  
hisce sese locis recipere delectabile  
sit, dulcissimūcę radios illuc solis ef-  
fugere. Ad ea loca omnis adolescen-  
tum multitudo se confert, ubi festiui  
aliquid habent, quo uel exultare, ue-  
liri, seu ludo intendere. H[oc] cursu,  
palæstra, uolucrīcę sagitta cōtendūt e-  
quos domitāt, currere ac saltare solēt.  
Alij detorquent iacula, nonnulli ualli-  
das

das vires saxa facetes ostentant, multi pila ludunt, non equidem more Italo, sed area quadam ferreum affigunt annulū, certatimq; contendunt, suam quisq; pilam per circulū transmittere. Ligno illam non manu attrent. Reliqua multitudo uel cantat, uel coronas ludentibus facit. Huiuscmodi conuenticulæ multæ in ciuitate fiunt. Conueniunt & in plerisq; pratis mulieres, ubi & choreas ducent, & psallendo latantur, multaq; fiunt alio loco uberiori dicenda.

At si quis Italus magnitudinem ciuitatis huius exquirat, hanc Ferrariae similem opinetur, Pado adiacenti, politiore tamen præstantioremq;, si faciem ciuitatis attendat. Erat olim Basilea suo Episcopo temporaliter subdita, qui & gladij potestatem habebat, & animaduersionem in facinorosos homines. Postea uero (qua occasione ignoro) ab se se dominium abdicauit, et si pristinæ potestatis ueterisq; dominij quandam recognitio-

Magnitu-  
do urbis.

nem habeat. Annuos enim quatuor denarios ex singula familia recipit. Basilienses uero in libertatem aspirauere, quamuis fateantur Cæsarem Augustum eorum esse regem.

Politia.

Gubernatur autem ciuitas regimine populari. Habet consilia duo, unum quod maius appellant, hominum ferè ducentorum. Alterum quod seniorum dicitur, virorum duodecim. In utroq; & nobiles conueniunt & prebeñ. Totius enim administrandæ Republicæ tertia portio debetur nobilibus. Plurima sunt genera magistratum diuersis officijs attributa. Summam tamen imperij obtinet Magister ciuium, quem nisi militem esse non decet, neque militiam nisi nobiles capiūt, uel fortè plebeiorum aliqui, quos summæ uirtutes clarissimaq; facinora decorarunt. Nec apud eos facilis est militiae consecutio, siue nobilis eam poscat, aut ignobilis, nisi res bello pulcherrime gesta suadeat. Quam si qui consequantur, iure possunt

sunt ad summam magistratum conuolare. Scultetum præterea qui causis criminalibus præest, magno honore habent, is tenetur ciuitatem malis hominibus expurgare, cauereq; ne maleficia remaneat impunita. Artes quoq; singulæ Mechanicorum unum sibi præficiunt, quem Zumph tam nominant, ijsdemq; magistratum præponunt, cuius non parua est iurisdictio. Horū autem munerū tempora sunt indefinita, nam pro meritis quisque perseverat in Republica. Hi habent in ciuitate locum, ubi examinandas consilijs, iuriq; dicendo congregantur. Quæ simul ac perfecta sunt, cuncti proprias domos reuisunt: nulli ex publico aluntur. Viuunt sine certa lege, consuetudine magis quam scripto iure utentes, sine jurisperito, sine notitia Romanarum legum. Vbi è nouo casus emergit, uel inaudita facinora, pro sua opinione sententias ferunt: ita eis uideri aiunt, talem pœnam illi delicto merito con-

b ; ueni-

uenire. Rigiidi tamen ac seueri sunt,  
amatoresq; iustitiae, ut si quando pu-  
niendi sint aliqui, necq; pecunia proficit  
eis necq; preces, necq; amicorum neces-  
sariumq; multitudo, uel in ciuitate  
potentia, omnes commissi dant poe-  
nas. Relegati extra urbem, in perpe-  
tuum nullam redeundi spem habet,  
nisi fors cum intrantibus ciuitatem  
Cardinalibus ingrediantur, quibus i-  
gnoscitur, si leuia facinora sunt. Ipsa  
quocq; tormenta, quibus reos affici-  
unt, atrocissima. Alij namq; suspensi  
rota ossibus infractis diem claudunt,  
alij immerguntur Rheno, alias cre-  
mant, alias uiuentes mutilant. Non-  
nullos muro claudunt, pane modico  
& aquae tantillo uti concedentes, do-  
nec fame pereant aut siti. Ad inueni-  
enda etiam criminis saeuissimis utun-  
tur generibus tormentorum, quo mori  
affectabilius sit quam illa pati. Com-  
periuntur tamen aliqui ea cuncta malen-  
tes ferre, quam facta uel obiecta fateri  
crimina. Amant religionem, sacerdo-  
tes

tes maximē uenerantur, solēnia mis-  
sarum cuncti exaudiunt, ut frequen-  
tentur Ecclesiæ, ne dum festis, sed e-  
tiam cōtinuis diebus. Simulachra san-  
ctorum plurima colunt, scientias non  
affectant, nec peritiam gentilium li-  
terarum, ut nec Ciceronem, nec ali-  
um quemuis Oratorum nominari au-  
diuerint. Nec Poetarum exoptantur  
opera, Grammaticæ tantum dant o-  
perā Dialecticæq;. Aduentant mul-  
ti ex uicis proximioribus, qui uitapa-  
plærumq; trahunt ex Eleemosynis,  
illis dasur ex publico magister, ad  
Grammaticam, Logicam, Musicamq;  
capessendam. Hi sunt quos postea  
miramur in Italia, Grammaticos Ele-  
mosynam poscere, quorum plerique  
in Romana curia prælatis seruiunt,  
opperiētes beneficia, quibus demum  
aluntur in patria.

Loca ins: per à nobilibus consti-  
tuta sunt, Aestati altera conuenientia,  
altera hyemi, quibus esse ex symbo-  
lis consueuerunt. Alibi palatium am-

Nobilium  
Collegia,

plū moliti sunt, ubi choreas frequenter exercent, inuitatq; formosissimas ciuitatis, quæ uestibus quoad possunt, lapillis, argento, auroq; ueniunt ornatae, quasi ad nuptias celeberrimas uideantur accessisse. Quarum uestienti consuetudo pomposa est, & pulchra, nisi nobis peregrina nimis uide retur. Eo in loco nulli fas est plebeiorum interesse tripudio, ni magistratu polleat, uel dignitate præclara, seu ditissimus habeatur, quibus aditus minime negaretur.

Civis mores & inge-  
nium.

Viri magno ut plurimū corpore sunt, urbaniq;, minus magnifice uestiuntur, delicate tamen: pauci forsitan ex militibus aliqui, utuntur ostro. Primores uero ciuitatis, quibus magna diuitiae sunt amplaq; supellex, nigro uelantur panno, cætera multitudo inculta est, lacera atq; incomposita, uili tegmine, plerunq; lineo\* adumbratur. Horum mores ut mortaliū uarij sunt. Plurimū uoluptati dediti, domi splendide uiuunt, temporis magnam

magnam partem in edendo terunt. Pueri nudis pedibus pergunt, fœminæ solum pedes calceo tegunt nigro alboq;. Cunctarum mulierum una est consuetudo amictus, & firma & honesta, ut quæ Florales sunt, uideantur dijudicandæ Vestales. At de his dicendum aliæ existimauit. Pauca apud hosce homines uitia, nisi Libero fortasse patri, uel Paphiæ matri assentiatur nimis. Quod illi uenia dignum censem. Fidem seruare solent, negare nesciunt ubi promiserent: uiri boni esse potius quam uideri malunt. Sua custodiunt, aliena non appetunt effrenatè, contenti fortuna sua: nisi quibus domi res est angusta nimis.

Sita est autem Basilea in agro ferae & ubere glebae, uino ac tritico iocundissime abundans, ut in foro uili Cerealia Bachiq; munera ueneat. Fert pomorum ingentem copiam, sicut caret atq; castaneis. Urbem placidissimi colles ambiunt & opaca nemora. Aquarum ipsa regio copiosa, terra cœ**b** **s** **loq;**

Vitia & vir  
tutes.

loq̄, Septentrionum flamine gelidis-  
sima, ut magna brumarum parte niue  
omnia uideantur albescere.

Talia mihi de Basilea uidebantur  
referenda, priusquam gesta  
Concilij narraren-  
tur.

Eiusdem V. R. D.

Seruitor minimus,

Aeneas Sylvius de  
Piccolominibus  
Senensis.

Pagina sexta, ubi ex sententia clarissimi viri Io.  
Pihelii I.C. portæ petreæ inscriptionem retuli, co-  
gitandum duco, num per Coloniam Heluetiorum  
Auenticum accipiendum sit. Priusquam uero libel-  
lum hunc ad umbilicum perduxisset, incidi in col-  
lectanea quædam Antiquitatum Auenticensium,  
cuius loci uictuſiſimæ Romanorum inscriptionses,  
omnem mihi hæſitandi scrupulum exemerunt, A-  
uenticum Heluetiorum coloniam fuisse testantes.  
Subiçiam duas, quarum prior in facello ibidem ui-  
ſitur, posterior in cœnobio Vuileriano proximo,  
quas Stumpfius etiam annotauit.

Auenticum  
Colonia  
Heluetio-  
rum

NVMINIB. AVG.

ET GENIO COL. HEL.

APOLLINI SACR.

Q. POSTVM. HYGINV.

ET POSTVM. HERMES, LIB.

MEDICIS ET PROFESSORIB.

D. S. D.

**T** DEÆ AVENTICÆ

ET GENIO INCOLAR.

T. JANVARIVS

FLORIANVS

ET P. DOMITIVS

DIDYMVS

CVRATORES COL.

EX STIPE ANNYA.

Ex his igitur ex petræ perforatæ inscriptioni-  
bus liquet, Duumuiros ex Curatores Colonie Ro-  
manorum apud Auenticum, iter hoc aperuisse, us  
ijs ad citeriores Sequanos proximum pateret iter.

Lubet ex hanc inscriptionem subiçere, Augusta  
Rauracorum anno 1565 ex terra profundi erutam.

Vox conu-  
pta,

\* IIITONIS  
OMVLII F.  
OCCISI IN  
VOC.RVLLO  
VISVRIX  
MATER P. C.

NE PAGELLA HAE C VACET,  
Colophonis uice Carmen hoc ano-  
nymum esto.

**Q**uam nihil in mundo durabile, quāq; caduca  
Omnia sint hominū, multa docere queūt.  
Principē tamen ostendunt tibi diruta magna  
Oppida, quæ fuerant, ex populosa nimis.  
Sic Sparte perīit, perierunt Pergama Troiae  
Vrbs quoq; Palladio nomine sacra perit.  
Dissita sed longē ne scribam moenia nobis,  
De nostris agendum scribere iamq; paro:  
Vindonissa uetus, quæ quondam præsule clara,  
Exiguus uicus nil nisi iamq; manet.

Augusti

Augusti referam quid Rauraca mœnia clara,

Area quæ duro uomere iam foditur?

Quid referā caput Heluetie, quod Auētīca quōdā

Historici dicunt mœnia lata nimis?

Id quod magna docere potest iam uisa ruina

A nobis, ueterem circuitum retinens.

Viculus exiguus iam parte locatus adhæret

Mœnibus antiquis, cætera uomer arat.

Hinc igitur discant mortales cuncta nouari,

Atq; perire, oculis quæ modo conspicimus.

Ast hominis mentem solam durare peræuum

Atq; repurgato corpore deinde frui.

Quid struis idcirco uæsane palatia magna,

Quum te parua tegat mox libitina trucem!

Esto longævus fueris, domus, oppida culta

Sæpe solo æquantur, diximus illa uelut.

Proin sapiens fuerit, qui possidet omnia mente,

Quæ cupiat semper cœlica regna sua.

EMEN-

## EMENDANDA.

A fol. 11. lin. 19. situm. 14. 14. viginti octo

B. 27. 14. passus longitudine.

E. 83. 17. supple, Epitaphium tale est.

F. 85. 13. anno. 14. canonicatum obtinuerat. 89. 23.  
quo motu.

G. 105. 23. fuerat. 107. 14. Tota uerbo.

H. 131. 17. Birsa rimus.

I. 135. 13. quæ de. 138. 19. niros. 145. 18. neneupatais.

K. 157. 8. Dominica ororum. 164. 20. utriq.

L. 177. 15. tantas.

M. 188. 27. laborarent. 190. 11. causa. 193. 22. Basilio  
& Bonifacio. 195. 1. periere, &c.

N. 204. 16. cum suis urbibus.

O. 227. 14. scelera.

P. 229. Scelera 224. 1. quodd isto doctrinæ suæ con-  
formi specimine iam olim edito, contenti essent.

Q. 251. 15. maiori circa. 254. 25. Vestalium.

BASILEÆ,  
PER SEBASTIANVM HENRIC.  
PETRI ANNO A' CHRISTO NATO  
CIC. 10. LXXVIL  
*Mense Martio.*

1463115

